DISSERTATIO

IURIDICO-CANONICA INAUGURALIS

DE

C. III. X. (1, 5.)

(de postulatione praelatorum)

QUAM

PRO GRADU DOCTORATUS, SUMMISQUE IN UTROQUE IURE HONORIBUS

CONSCRIPSIT

F. E. DE BÖNNINGHAUSEN,

PRESBYTER CURATUS MONASTERIENSIS.

MONASTERII,

EX TYPOGRAPHIA FRID. REGENSBERG.

MDCCCLII.

Nec differendum est tirocinium in senectutem. Nam quotidie metus crescit, maiusque fit semper, quod ausuri sumus; et dum deliberamus, quando incipiendum sit, incipere iam serum est. Quare fructum studiorum viridem et adhuc dulcem promi decet, dum et venia et spes est et paratus favor, et audere non dedecet, et si quid desit operi, supplet aetas, et si qua sunt dicta iuveniliter, pro indole accipiuntur.

Quinctilianus.

REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO

DOMINO DOMINO

JOANNI GEORGIO,

EPISCOPO MONASTERIENSI, SS. THEOLOGIAE DOCTORI ETC. ETC.

HASCE STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

Explicatio cap. III. Decret. Gregor.

Lib. I. Tit. V.

de postulatione Prælatorum.

Cum unicuique, qui summos in utroque iure honores in alma Musarum sede Heidelbergensi rite ac legitime capessivit, posita lex sit, infra anni spatium hunc illumve iuris locum elaborandi elaboratumque in lucem proferendi, cap. III. tituli de postulatione Prælatorum mihi exponendum sumsi. Verissimum sane est, meque minime fugit, hunc quidem titulum, quoad attinet ad Borussos, nil valere, quum iam omne discrimen postulationis electionisque Bulla, quæ incipit: „De salute animarum" sublatum sit. At vero illum hodie pro iis capitulis, ad quæ modo laudata Bulla circumscriptionis non spectat, quibusque ius eligendi ad Prælaturas competit, maximi esse momenti, nec non pro Principibus, in quorum manus Indulto D. Papæ ius nominandi venit, quodammodo vim legis habere, quis non videt? Est enim facile ad intelligendum, et nemo non concedet, qui non falsam de vi ac natura corporis iuris canonici opinionem animo imbiberit, illud corpus in rebus spiritualibus et ecclesiasticis ea, quæ firmissimis innititur fundamentis, auctoritate gaudere, quatenus ei per concordata, decreta conciliorum, recentiores Bullas et Constitutiones, legitima statuta et consuetudines legitime præscriptas derogatum non sit. Iam vero nullus exstat dubitationis locus, quin hicce titulus de postulatione Prælatorum eo, quo docui, modo

mutatus non sit. — Priusquam ad hoc caput fusius tractandum aggrediar, illud mihi ad bene intelligendum aptissimum videtur, quid sit postulatio, breviter explicare.

Vox *„postulationis"* in iure duplicem habet significationem et usurpatur quum pro actu iudiciali, quo quis suum vel amici sui desiderium in iudicio proponit, Decret. Gregor. Lib. I. Tit. XXXVII., tum pro actu extraiudiciali, quo petitur a Superiore, ut personam defectu canonico laborantem seu nexu quodam ligatam ad Prælaturam ecclesiæ admittere dignetur, quæ quidem posterior significatio postulationis sumitur in iure can. in Tit. de postul. Prælatorum, atque dividitur in postulationem solemnem et simplicem seu minus solemnem. Si quis ad Prælaturam ecclesiæ viduatæ Eligendus canonicum patitur impedimentum, ita quidem, ut eius electio rata firma haberi non possit, capitulum petitione intercedere necesse est apud eum, cui ius est dandæ veniæ ad impedimentum illud removendum eumque ad dignitatem dispensative admittendum, id quod fit per postulationem solemnem. Itaque ut postulationem solemnem accurate definiamus, dicendum est, illam esse supplicem quandam per collegium canonicorum ad Superiorem directam petitionem, ut aliquis causa cognita non obstante eo, quo laborat, defectu certæ ecclesiæ vacanti præficiatur. Panormitanus postulationem solemnem ita definit, ut dicat, esse quandam gratiæ petitionem a Superiore, factam de promovendo aliquem ad Prælaturam, ad quam de iure communi propter defectum aliquem vel impedimentum eligi seu promoveri non poterat*). At vero alia est notio

---

*) Cf. Schmalzgrueber P. II. Tit. V. §. I. Böckhn Lib. I. Tit. V. de postul. Prælat. §. I. num. 2. Barbosa j. eccl. univers. Lib. I. cap. XIX. num. 5. Fagnanus in I. part. prim. Decret. de post. Prælat. i. Bonæ memoriæ num. 60.

postulationis simplicis. Est enim postulatio simplex seu minus solemnis, capituli petitio ad Superiorem directa, ut personam, per se idoneam, suæ iurisdictioni tamen subiectam, ad Prælaturam accedere permittat, seu petitio, qua non petitur dispensatio contra ius, sed solum licentia et consensus illius, cuius iurisdictioni Postulatus subest e. g. Episcopi, cuius regimini presbyter in Episcopum electus subditus est*). Postulationem igitur simplicem postulationi solemni valde dissimilem esse, in promptu est.

Simplex enim postulatio spectat ad personam idoneam nullique obnoxiam defectui; quam ob rem nulla opus est dispensatione. Itaque Electum, quippe qui iurisdictioni Superioris subditus sit, nonnisi cum nudo illius consensu oblatam Prælaturam acceptare posse, facile est ad intelligendum. At vero postulatio solemnis personam defectu canonico laborantem supponit, unde relaxationem legis seu dispensationem necessariam esse, nemo non videt. Recte igitur animadvertit doctissimus ille vir, Pirhing Lib. I. Tit. V. de postulatione Prælatorum §. 1. assert. III.: „Simplex postulatio dicitur, quando quis postulatur ab eo, qui non potest dispensare super impedimento; requiritur tamen eius consensus ad promotionem sic postulati, propter peculiare interesse, vel ius, quod in illo habet; ac proinde per hanc postulationem nulla dispensationis gratia a Superiore petitur, cum contra canones non fiat, sed sola licentia ab eo, cui electus sive simpliciter postulatus proxime subiectus est. Aliud autem est dispensare, aliud, licentiam dare, quia, quando datur licentia, non solvitur sive relaxatur ipsa lex, sicuti fit, cum dispensatur, sed conditio ponitur a

---

*) Böckhn loc. cit. num. 4. Barbosa loc. cit. num. 14.

lege requisita, qua posita, legis obligatio aut prohibitio per se cessat v. g. si lex sit, vel statutum alicubi, ut nullus sine licentia Magistratus frumentum ex civitate aut provincia evehat, si Magistratus det licentiam, non dispensatur in lege, nec relaxatur eius obligatio, quia, quum is casus expresse per legem sit exceptus, lex nunquam ad eum casum se extendebat. Quare postulatio simplex species quædam electionis est, ad id instituta, non ut Superior electi electionem ipsius dispensative admittat, (nam cum contra canones non fiat, nulla opus est dispensatione) sed ut suo in electum iure cedat et licentiam dando permittat, ut electus in sui quoque electionem consentire possit. e. g. si Religiosus in Episcopum eligatur, requiritur Abbatis sive Prælati regularis consensus sive licentia, sine qua non potest Religiosus eligendus in sui electionem consentire c. si Religiosus 27. c. Si abbatem 36. de election. in 6. Ubi nulla intervenit dispensatio, quia nulla lex canonica prohibet, Religiosum assumi ad Episcopatum quasi inhabilem, qui proinde dispensatione indigeat; sed solum prohibet, ne assumatur sine Superioris seu Prælati sui licentia, cum qua si eligatur, non relaxatur ipsa lex prohibens, quippe cum is casus sub legis prohibitionem non cadat, sed per ipsam legem expresse sit exceptus." —

Postulatio solemnis in subsidium electionis est introducta, ita quidem, ut si quis per Canones eligi prohibeatur, via postulationis ad Dignitatem eluctari possit, quando cæteroquin ecclesiæ vacanti utilis esse futurus censeatur.

Defectum vero, ut locus postulationi detur, non esse, nisi quocum Superior possit et soleat dispensare, vix quisquam diffitebitur. At enim, quomodo quis indispensabili obnoxius impedimento aut naturali aut divino iure inducto haud ineptus sit ad ecclesiam bene regendam

atque gubernandam, vix aut ne vix quidem cogitari potest. Aliter quidem iudicandum esse apparet de impedimento, quod lege ecclesiastica constitutum est, quocum tamen ecclesia non dispensat. At vero ecclesiam gravissimas habere causas, hoc quidem casu dispensationem non indulgere, nescio an quis neget. Quis vero contendere ausit, defectum dispensabilem non posse non impedire, quominus Prælatus maxima, qua par est, utilitate Dignitarii munus exsequi queat? Quod quum ita sit, causæ cognitio id potissimum sibi velle constat, ut Superiori qualitates et merita Postulati comperta atque explorata sint. Maximi igitur in causæ cognitione momenti illud est, num Postulatus tam præclaris insignitus sit meritis atque ita conveniat ecclesiæ, ad quam postulabitur, ut vulnus, quod per impedimenti dispensationem eiusque admissionem SS. Canonibus infligetur, aliunde compensetur, satiusque sit, vulnerari illos, quam illum repelli a Prælatura. Testis est Innocentius Papa III., præclarissimus ille et doctrina et pietate vir. D. Papa enim in fine cap. 20. de elect. dicit: „Quodsi Vigoriense capitulum eundem magistrum propter *prærogativam meritorum* ipsius duxerit postulandum, postulationem apud Sedem Apostolicam præsentare procuret.“ Laudatum quoque est illud eiusdem D. Papæ dictum in cap. 40. de elect.: „Per Apostolica scripta mandantes, quatenus super his et aliis inquiras diligentissime veritatem, *de meritis electi et postulati* apud Venetias, ubi nati fuerunt, et diutius conversati.“ cf. cap. 4. de translat. episcop. His exemplis similia addere supervacaneum videtur. —

Annot. Hoc loco non alienum erit, commemorasse postulationem, improprie dictam, quæ quidem hodie exoleta est. Historia enim ecclesiastica satis superque docet, antiquitus populum magnas in electione suscepisse partes plurimumque valuisse, eo quidem consilio, ut ne

Episcopus daretur ei invito atque in omnibus perspecti essent mores Electi. cf. can. 27. dist. 63.; can. 9. dist. 65. can. 13. dist. 61.: „Nullus invitis detur Episcopus, Cleri, *Plebis* et Ordinis consensus et desiderium requiratur.“ Unde nonnunquam factum est, ut populus præoptaret, desideraret, votis et clamoribus expeteret a Metropolitano, Comprovincialibus et Clero certam sibi gratam personam, quam eligerent illi et ordinarent, quod quidem tunc erat improprie „postulare“. Multa exstant huius postulationis popularis exempla, apud S. Athanasium Apol. 2. in epist. Synod., apud Theodoretum lib. IV. histor. eccles. cap. 20., apud Euseb. in vita Constantini lib. III. cap. 60. Hæc popularis postulatio postea et id quidem summo iure, ut inimicitiarum dissidiarumque fons et fomes sopiretur, omnino evanuit. —

His, quæ ad postulationis notionem exponendam spectant, præmissis, ad commentationem ipsam progrediendum est, si prius huius capitis divisionem, eam, quæ ad hoc caput rite tractandum aptissima videtur, breviter proposuero. Quod quidem recte commodeque fieri perspicuum est, si nonnulla de eiusdem intellectu præmo nentur.

Ecclesiæ vacantis Ravennatensis Canonicorum alii Sofredum, Sanctæ Praxedis Presbyterum Cardinalem, alii Episcopum Imolensem postularunt, quæ quidem postulationes per Delegatos ab utraque parte missos ad aures D. Papæ pervenerunt. Cum vero D. Papa persuasum sibi haberet, Cardinalis Romæ præsentiam Urbi et Orbi maiorem afferre utilitatem, postulationi eiusdem, bonum commune bono particulari præferendum ratus, assensum præbere recusavit. Accedit etiam tunc temporis illud, cui sane multum tribuendum est, quod Innocentius impense sollicitus de subsidio Terræ Sanctæ hunc Cardinalem destinaverat, qui expeditionem in illam terram

faciendam promoveret et exercitum comitaretur. At vero D. Papa ex altera parte considerans, quod Episcopus Imolensis a minore quam a tertia parte fuerit postulatus, et tam discordes postulationes Romana ecclesia non admittat, quum etîam postulationes eaeque concordes innitantur gratiæ Superioris, in cuius arbitrio stet, velitne in vota petentium concedere an postulata recusare, postulationem huius episcopi non admisit, sed mandavit canonicis ecclesiæ Ravennatensis, ut personam idoneam eligant, seu postulent, seu nominent. —

Ex his, quæ dixi, apparet, et me etiam non monente satis cognitum erit, hoc caput dividi in tres partes, quarum prima usque „Nos" docet duas discordes postulationes, secunda usque „Mandantes" causam exprimens utramque reiicit et tertia pars usque ad finem præcipit, ut nova fiat provisio. Hisce de intellectu et divisione cap. III. breviter præmissis iam ad singula exponenda progredi liceat. Prima pars narrat, Sanctæ Praxedis Cardinalem Presbyterum et Episcopum Imolensem esse postulatos. Existit hoc loco illa quæstio, num Cardinales Presbyteri vel Diaconi Ecclesiæ Romanæ ad Episcopatum eligi possint, an vero postulari debeant. Inter canonistas magna de hac quæstione exstat controversia. At vero sententia illa, quæ Cardinales Presbyteros vel Diaconos simpliciter esse postulandos statuit, SS. Canonibus magis convenire videtur. Etenim nulli omnino in iure canonico occurrunt loci, qui prohibent, ne Cardinalis ad Episcopatum assumatur, sed solum SS. Canonibus sancitum est, ne Cardinalis Summo Pontifice nesciente vel invito Episcopatum acceptet, neve titulum, cui adstrictus est, deserat. Est enim munus Cardinalium, pro bono christianæ reipublicæ D. Papam consilio iuvare, universalisque ecclesiæ curam et sollicitudinem gerere, quod quidem munus illi explent aut in consistorio, aut

in congregationibus. Quod quum ita sit, Cardinales in suis titulis residere teneri in promptu est; hinc necessario sequitur, illos nonnisi impetrata licentia D. Papæ a Curia Romana recedere posse. At vero vix opus est monere, D. Papam concedendo istam licentiam non magis dispensare, quam dum Abbas monacho det licentiam, ut electioni suæ in Episcopum possit consentire. Quam ob rem, ut monachum, ita etiam Cardinalem Presbyterum vel Diaconum simpliciter, non vero solemniter, postulandum esse iam satis elucet*). Laudatum est igitur illud præclarissimi canonistæ, Schmier, in iurisprudentia canonico civili Lib. I. Tractat. III. cap. II. §. III „Dico II. Cardinalis Presbyter vel Diaconus simpliciter seu minus solemniter postulandus est. Ita intelligo textum in cap. bon. memor. 3. h. t. in quo Cardinalis Presbyter S. Praxedis una cum Episcopo Imolensi postulatus fuisse refertur, non quod utraque postulatio solemnis, sed una, quæ Cardinalem concernebat, simplex et insolemnis; altera, quæ Episcopum tangebat, solemnis fuerit; ut patet ex diversitate rationis, quam ibidem assignat Pontifex, dum Cardinalis postulationem ideo solum reiecit, quia illius præsentia utilior credebatur non solum Romanæ, sed etiam ecclesiæ generali, tam apud Sedem Apostolicam, quam apud ecclesiam Ravennatem; episcopi autem postulationem propterea cassavit, quia competentem votorum numerum non habebat. Et ratio ulterior est, quia, sicut Prælatus regularis suo monasterio annexus et Religiosus suo Prælato subiectus est, ratione cuius nequeat unus aut alter in sui electionem ante permissionem Superioris

*) Böckhn loc. cit. num. 29. Reiffenstuel de post. Prælat. §. II. num. 46. Leurenius for. benef. Sect. II. Cap. I. de post. qu. 222. Pirhing de post. Prael. §. 2. Num. 11. Ferraris in prompta biblioth. sub voce: postulatio num. 15.

consentire, sicque insolemniter postulari debeat uterque; ita et Cardinalis, suo titulo adstrictus, magis tamen lateri S. Pontificis alligatus eique subiectus est, ut nequeat illo nesciente vel invito discedere aut electioni ad aliam ecclesiam consensum præstare, unde postulari debet, sed simpliciter seu insolemniter".

Iam vero afferenda et refutanda sunt ea argumenta, quæ patroni contrariæ opinionis ad probandam suam sententiam adhibent. Hi quidem quum alias rationes tum tanquam fundamentum suæ opinionis illud pronuntiant, quod in cap. III h. t. Cardinalis dicatur postulatus in Archiepiscopum. At vero minime urgere hanc dubitandi rationem in oppositum allatam, respondendum est. Opponitur enim cap. 57 de elect., ubi expresse Cardinalis dicitur electus: „Quatuordecim magistrum presbyterum Cardinalem *elegerunt*". Unde ut concordanda sint iura iuribus, dicendum est, quod in hoc capite III verbum „postularunt" quoad Cardinalem improprie ponatur. Itaque textus intelligendus est quoad Cardinalem de postulatione simplici, quæ quidem revera est electio. Quodsi quis opponat, Cardinales Presbyteros vel Diaconos esse maiores Episcopis ratione Officii, quippe qui unum corpus cum D. Papa constituant, intimi eiusdem Consiliarii et in exsecutione Sacerdotalis Officii illius Coadiutores sint, quam ob rem ut Episcopos ita etiam Cardinales solemniter postulari necesse esse, non difficile est, hanc argumentationem refellere. Etenim omnino animadvertendum est, Episcopos esse maiores Cardinalibus non Episcopis ratione Ordinis Episcopalis, quem quidem summum esse constat. Itaque S. Pontifex se non Cardinalem sed Episcopum nominat, nec Cardinales non Episcopos suos Fratres, sed solos Episcopos vocat. At vero dato non concesso, quod Cardinalis sit simpliciter maior Episcopo, nihilominus tamen Cardinalis Presbyter vel

Diaconus eligi debet in Episcopum, quia in Cardinali cessat ratio, cur Episcopus ad alium Episcopatum non potest non postulari. Longissime quidem is a veritate aberraret, qui hanc causam eam esse crederet, quod Eligendus ad maiorem Prælaturam sit promovendus. Concedendum omnino videtur, conveniens quidem illud esse, at vero necessarium, quis audeat contendere? Quærenti vero, quænam sit illa causa, respondendum est: Episcopus spiritualis matrimonii vinculo copulatus est suæ ecclesiæ titulari, id quod SS. Canones his ipsis verbis docent cap. inter corporalia 2: „ergo multo fortius reservavit dissolutionem *matrimonii spiritualis, quod est inter Episcopum et Ecclesiam*". Hinc nullus dubitationis locus est, quin nec Episcopus nec electores possint absolute consentire, ut ille fiat alterius ecclesiæ Prælatus, nisi prius a priori vinculo coniugii spiritualis solutus sit, quæ quidem ratio non spectat ad Cardinalem Presbyterum vel Diaconum. Cardinalis enim non Episcopus, quamvis in suo Titulo iurisdictionem quasi Episcopalem, eamque non tam ex officio pastorali et iure proprio, sed ex speciali prærogativa et indulgentia S. Pontificis obtineat, non tamen, sicut Episcopus cum sua ecclesia, cum suo Titulo coniugium iniit. Illud S. Apostoli: „Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, nonnisi ad Episcopos pertinere luce clarius videtur. Quodsi quis fortasse dixerit, Cardinalem esse obstrictum ecclesiæ Romanæ et alas ligatas habere dici, id quod verissimum sane est, huic omnino est consentaneum, quod Cardinalis licentia D. Papæ non impetrata Curiam Romanam non possit deserere; unde necessario sequitur, Cardinalem esse postulandum postulatione minus solemni seu simplici, quatenus petendus est consensus D. Papæ ad discedendum ab Ecclesia Romana. Ex his, quæ dicta

sunt, facile colligere possumus, quam non recte sentiant illi, qui Cardinalem Presbyterum vel Diaconum esse solemniter postulandum existimant. —

„Quidam vero Episcopum Imolensem postulaverunt.“

Omnes Episcopi, Archiepiscopi et Patriarchæ solemniter postulandi sunt. Quod quam verum sit, innumeri sane loci corporis iuris canonici docent. cf. cap. Osius 10 et seq. dist. 61. cap. bonæ memor. IV et VI, h. t. cap. bon. memor. 23. cap. in causis 30. cap. scriptum 40 de elect. cap. post translationem 11 de renuntiatione. Imprimis illud quidem placitum docet cap. VI h. t.: Canonici enim Calaritani suum Episcopum in Archiepiscopum concorditer elegerunt, petentes, ipsum a D. Papa concedi. Hic vero electionem irritavit, quum Episcopus non potuerit non postulari. — Quænam sit huius postulationis causa, antea commemoravi. cf. cap. inter corporalia 2: „Cum ergo fortius sit spirituale vinculum, quam carnale, dubitari non debet, quin omnipotens Deus *spirituale coniugium, quod est inter Episcopum et Ecclesiam,* suo tantum etc.“ cf. cap. IV de translatione: „Sicut legitimi matrimonii vinculum, quod est inter virum et uxorem, homo dissolvere nequit, Domino dicente in evangelio: Quos Deus coniunxit, homo non separet, sic et *spirituale fœdus coniugii, quod est inter Episcopum et Ecclesiam etc.“* Hinc elucet, Episcopos et Archiepiscopos iis ecclesiis, quas regunt, spirituali quodam vinculo coniugii esse copulatos. Sicuti igitur matrimonio carnali coniunctus repudium dare nequit, ita Episcopus, quippe qui desponsatus sit iam uni ecclesiæ, in cuius signum annullum gerit, suamet auctoritate alteri spondere non potest. Si secus faceret, spirituale committeret adulterium. Neque vero illud minus elucet, Episcopos ad aliam Prælaturam postulari posse, quum Postulatus in Eccle-

siam, ad quam postulatur, tanquam in sponsam non prius consentiat, quam a prioris ecclesiæ vinculo sit solutus; quod quidem ut fiat, per postulationem petitur a Summo Pontifice, quia D. Papa, cum sit successor Petri et Vicarius Iesu Christi (cf. cap. IV de transl.) et non puri hominis sed veri Dei vices gerat in terris, (cf. cap. III de translat.) a Deo hanc auctoritatem dissolvendi hoc fœdus coniugii spiritualis, quod Episcopi aliique pepegerunt, accepit (cf. cap. II de translat.) et quos ipse pro necessitate vel utilitate separat, non humana sed divina potius auctoritate dissolvit.

At vero postulationem non solum ad Episcopum consecratum, sed etiam ad Episcopum confirmatum nondum consecratum pertinere, unanimi consensu docent canonistæ et probatur SS. Canonum doctrina. cf. cap. inter corporalia 2: „Sicut enim Episcopus consecratus sine licentia Romani Pontificis suam non debet ecclesiam derelinquere, sic et *electus confirmatus*". et cap. 4 de translat.: „Quos Deus coniunxit, homo non separet; sic et spirituale fœdus coniugii, quod est inter Episcopum et ecclesiam, quod in electione initiatum, *ratum in confirmatione* etc." Etenim Electus per confirmationem iniit quasi matrimonium ratum cum ecclesia, quod quidem matrimonium per consecrationem consummatur. Sicuti ergo matrimonium ratum inducit vinculum ita et confirmatio producit ligamen nonnisi Auctoritate S. Pontificis inextricabile. Neque contrarium probatur ex cap. quoniam I. dist. 100: „sitque Metropolitanis aliis licentia, post secundam et tertiam commonitionem *viduatis ecclesiis* cum concilio Romani Pontificis, ordinando Episcopos, subvenire. Si vero consecrandi Episcopi negligentia provenerit, *ut ultra tres menses ecclesia viduata consistat* etc." Huic omnino convenire putaverit quispiam, Electum, quem hodie vocant canonistæ, ius in re in corpore

mystico ecclesiæ electorum nondum acquisivisse ideoque matrimonium illius cum ecclesia nondum esse ratum, quia non est, cur ecclesia *„viduata"* nominetur, quæ coniugem habeat. Quod quidem si veritate niteretur, Electum non posse non eligi, quis non videt? Sed falsum esse illud placitum, ex authentica huius textus interpretatione, quam Innocentius Papa III in cap. inter corporalia 2 exhibet, facile apparet. Hæc enim leguntur: „Sed neque illud, quod in canone legitur de electo (cf. cap. quoniam I dist. 100) ut si ultra sex menses (melius diceret, si ultra quinque, quia de quinque mensibus dicitur in canone illo, cuius sententia hic ponitur) per suam negligentiam retinuerit ecclesiam viduatam, nec ibi nec alibi donum consecrationis accipiat, imo metropolitani sui iudicio cedat, aliter intelligentibus poterat suffragari: *cum non intelligatur ecclesia viduata, quasi sponsum non habeat; sed quia sponsus eius nondum sit consecratus, adhuc quoad quædam* (illa scil. quæ ministerium consecrationis desiderant cf. cap. XV de elect.) *quasi viri maneat solatio destituta, sicut iuxta communem modum loquendi illa dicitur ecclesia viduata, quæ licet episcopum habeat, inutilem tamen perhibetur habere"*.

At vero postulatio non spectat ad Episcopum duntaxat electum nondum confirmatum. Quodsi quis ad cap. IV de translat. provocans contenderit, Episcopum tantum electum non posse non postulari, quippe quum inter ipsum et ecclesiam veluti initiatum sit vinculum spirituale coniugii, respondendum est, fœdus illud cum ecclesia inchoatum quidem esse at nondum ratum.

Id igitur discriminis inter Electum duntaxat et Electum Confirmatum intercedit, quod illi secundum SS. Canones liberum est, resilire a iure quæsito, id quod huic concessum non est. Hoc sibi vult cap. XXVI Lib. I Tit. VI in 6: „Si electio ex eo non sortiatur effectum, quia

electus consentire recusat, vel *post consensum renuntiat iuri suo* etc. electores habebunt a dissensu, renuntiatione etc. *ac si vacatio nova esset*, tempus integrum ad electionem aliam celebrandam". Atque eam ipsam ob causam, quod in Electi tantum arbitrio stat, velitne iuri quæsito repudium dare, an confirmationem petere, illum non posse non eligi, rectissime monent canonistæ. Neque hoc ita refutari potest, si dicatur, ex cap. 2 inter corporalia de translat. „Unde quum non sit maius vinculum episcopi ad ecclesiam, quam electi, maxime cum fuerit confirmatus etc." deduci debere, idem esse vinculum inter Episcopum tantum electum et ecclesiam, quo arctissimo Episcopus consecratus cum illa coniunctus sit, ergo consentaneum esse, ut Episcopus duntaxat electus eligi nequeat. Iam vero audiamus ad illam obiectionem refellendam præclarissimum illum virum, quem modo laudavi, Schmier, qui sic disputat: „Respond. esse utique maius vinculum Consecrati, quam Electi tantum: cum Consecratus Confirmationem et cum ista ius in re acquisitum habeat; Electio vero, solitarie spectata, præter ius ad rem operetur nihil. Neque in alleg. loc. aliquid aliud constitutum reperio, cum, textu integro perlecto, deprehendam, non cum Electis tantum sed cum Electis et Confirmatis ex una, nec non Consecratis ex altera parte, quoad paritatem vinculi matrimonialis collationem fieri, ut innuunt verba: „sicut autem Episcopus Consecratus suam non debet ecclesiam relinquere, sic et Electus Confirmatus; cum non debeat in dubium revocari, quia post Electionem et Confirmationem canonicam inter personas Eligentium et Electi coniugium sit spirituale contractum". Et paullo post: „sicut ergo Episcoporum translatio, sic et Electorum post Confirmationem (spiritualis coniugii ratione) soli est Romano Pontifici reservata". Et licet particula „maxime" ut plurimum

implicativa et augmentativa sit, includens duos casus, unum magis et alterum minus dubitabilem, nihilominus quandoque etiam „taxative" ponitur ac idem significat, quod „tantum": quandoque vero ex superabundanti ad maiorem explicationem et dilucidationem usurpatur etc. —

Episcopum, qui auctoritate Sedis Apostolicæ renuntiavit episcopatui, non posse non eligi, nisi aliud quid canonicum obstiterit, perspicuum est, quippe quum vinculum prioris ecclesiæ per renuntiationem legitime factam et a D. Papa acceptatam auctoritate divinitus huic concessa penitus fuerit dissolutum.

Reliquum est, ut de Episcopis titularibus et Coadiutoribus disserendum sit.

Episcopi titulares censentur illi, qui sunt Episcopi ecclesiæ cuiusdam in partibus Infidelium existentis. Hi non habent propriam diocesin, in qua functiones Episcopales suo iure exercent, sed Episcopis Ordinariis et Diocesanis suffragantur, unde et ipsi Suffraganei nominantur. Num Episcopi titulares eligi possint nec ne, canonistarum sententiæ valde discrepant. Qui illud negant*), sic demonstrant: Episcopi titulares sunt veri Episcopi, eodem, quo ceteri, ritu consecrantur, simulque inter ipsos et ecclesiam, ad quam consecrantur, intercedit fœdus coniugii spiritualis. Itaque nullus dubitationis locus est, quin illi postulari debeant, cui quidem sententiæ omnino favet Stylus Curiæ Romanæ. Etenim quod ad illum attinet, Brevia Eligibilitatis per S. Pontificem Suffraganeis concedi, in promptu est; quod utique non fieret, si de iure essent eligibiles. Accedit etiam illud, cui sane multum tribuendum est, quod ecclesiæ cathedrales quantumvis

*) Böckhn loc. cit. num. 21. Schmalzgrueber loc. cit. §. 2 n. 8 aliique. —

Infidelium ditioni suppositæ, nihilominus manent ecclesiæ cathedrales. Si quæ igitur in possessionem Catholicorum veniunt, Episcopi vi sui matrimonii ad eas se conferre, illisque veluti sponsis cohabitare tenentur. Itaque tales ecclesiæ, quamvis actu nec populum nec iura spiritualia habeant, habent nihilominus in habitu et radice, sicut, si unus ex coniugibus altero consentiente religionem solemniter profiteatur, iura coniugalia non in actu et exercitio, sed in habitu tamen et radice persistere dicuntur.

At vero multi canonistæ*) contrarie oppositam sententiam amplexantur, contendentes, Episcopos in partibus Infidelium non esse postulandos. Sane id negari nequit, et nemo non concedet, qui non falsam de Ordine et Charactere Episcopali opinionem animo imbiberit, Episcopos illos esse veros Episcopos et votum decisivum in concilio generali habere, id quod historia ecclesiastica luculentissime testatur. Sed illud in hac re diiudicanda respiciendum esse censeo, illos non esse in vero coniugio spirituali, quippe qui careant clero et populo christiano, adeoque sponsa. Etenim locum non esse desponsatum cum Episcopo sed Episcopum intimo matrimonii vinculo cum ecclesia viva, nimirum cum clero et populo christiano, esse copulatum, manifesta et confessa res est. At frustra quispiam hanc operam dederit, invenire ecclesiam vivam in partibus Infidelium. Neque audiendi sunt illi, qui electionem Episcoporum titularium eam ob causam improbant, quod Dignitate et Charactere Episcopali contineatur necessitas postulationis. Sed longissime abhorrere a veritate illud placitum, quum iam ex eo

*) Neller in s. dissert. de post. Praelat. quaest. ad num 5. Helfert, von den Beneficien S. 57. Müller, Lexikon des Kirchenrechts sub voce: postulatio S. 458.

apparet, quod Episcopi, qui Auctoritate Sedis Apostolicæ renuntiaverunt Episcopatui, eligi debent, tum vero multis ex iure canonico argumentis, quorum mentionem antea feci, probari potest, causam veram, cur postulatio in Episcopis locum habeat, non in Ordine Episcopali per se inesse, sed unice in coniugio spirituali, unde Episcopos titulares, quippe qui neque actu neque habitu ecclesiis, utpote quæ non sunt, desponsati sint, eligi necessario sequitur. Verissimum sane est, meque minime fugit, Episcopos illos sibi procurare solere a Summo Pontifice Brevia Eligibilitatis. At vero huic non id tribuendum est, quod multi quidem tribuerunt. Etenim falsissimum foret dicere, inde elucere, Episcopos titulares esse postulandos. Quum multi præclarissimi viri, ut vere notat Neller, sententiæ indulgeant, illos Episcopos non posse non postulari, tutius est in praxi, ista cautela omnem scrupulum atque difficultatem removere, ne quid memorem, ecclesiam catholicam esse toto orbe diffusam ac sic contingere potuisse, ut talis Episcopus vere existenti ecclesiæ vivæ desponsaretur nec sit mero titulo inanimato adscriptus.

Restat, ut de Coadiutoribus disserendum sit. Quæritur primum, num Coadiutor cum futura successione dandus eligi possit nec ne. Cum secundum concil. Trident. sess. 25 cap. 7 de reform. ecclesiarum cathedralium et monasteriorum Prælatis, nisi impetrata sit dispensatio Apostolica, Coadiutores cum iure successionis dari nequeant, hos quidem postulandos esse facile apparet. Verum tamen vero cavendum est, ne cum illa quæstione hanc confundamus, num Coadiutor Episcopo datus postulari debeat? Hoc sane negandum est. Etenim si quid Coadiutori obstet, quominus eligi possit, sit vinculum, quod contraxerit cum ecclesia, cui per confirmationem Apostolicam fuerit desponsatus. Attamen tale vinculum

non habet Coadiutor neque verus Episcopus est, quia duo Episcopi eiusdem ecclesiæ simul et semel esse nequeunt. Quodsi quis quærat, num, prævie impetrata licentia D. Papæ, Episcopo dandi Coadiutorem cum iure successionis, Episcopus ille, quem capitulum vocare intendit, eligi possit an postulari debeat, canonistarum sententiæ valde discrepant. At vero, ut egregie monet prælaudatus Neller, illud: „Alligatus es uxori, noli quærere solutionem" impedit Episcopum, quominus etiam futura sponsalia contrahat, stante suo coniugio spirituali. Accedit, quod in hoc casu fiat anticipata electio *nunc* pro *tunc*; sicut ergo actu vacante ecclesia Episcopus deberet postulari, ita quoque debebit nondum vacante ecclesia. —

„*Nos igitur auditis, quæ de facto et de iure fuerant allegata, plenius etiam pro utralibet partium curavimus allegare. Consideravimus vero, quod eiusdem Cardinalis præsentia utilior sit non solum Romanæ sed etiam ecclesiæ generali, tam apud Apostolicam Sedem quam apud ecclesiam Ravennatem, unde non immerito præferentes speciali utilitati communem et minori maiorem, prædictum Cardinalem postulationi vestræ non duximus concedendum.*"

Iudicium faciunt duo litigantes, quorum alter actor, alter reus est, causa et magistratus, qui iudicat, suaque sententia controversiam dirimit. Partium est, iudici facta proponere probationesque suppeditare, per quas illi causæ veritas innotescit. Vix quisquam est, qui allegationem factorum ad partes spectare infitiari ausit. Sicuti enim iudici cognitio factorum attribui nequit, et ab arbitrio litigantium penitus dependet, num causa ad iudicem deferatur nec ne, ita partibus ipsis plane commissum est, quodnam factum et quonammodo illud iudici ad dirimendum atque definiendum proponere velint. Quam-

vis vero nonnunquam fieri possit, ut ipsæ leges a partibus allegentur, quemadmodum factum est in casu, quem cap. III h. t. memorat, tamen eas allegare opus non est. Est enim munus iudicis, ius cognoscere et ad facta legitime probata adhibere. Quod quum ita sit, quoad facta illum quidem accipere, partes vero dare, et vice versa quoad iura, quis non videt? Præclarum igitur est illud proverbium: „Iura novit curia, narra mihi factum, ego narrabo tibi ius". Quam ob rem hæc regula ultro se offert: „id non esse in mundo, quod non sit in actis". Neque enim dubitari potest, quin iudex ad controversiam dirimendam nonnisi ea, quæ a partibus ad acta deposita sunt, respicere debeat. In contrarium de legibus iudicandum est. Iudicem enim ex officio teneri, leges scire, nemo non concedet, qui naturam muneris iudicialis bene perspexerit. Itaque illæ a litigantibus non sunt allegandæ exceptis eis, quas haud ignorare magistratus non tenetur, e. g. leges extraneorum. At vero hæc exceptio strictissimo sensu omnino nulla est. Regula enim, qua constitutum est, ut leges iudici exploratæ atque compertæ sint, adhibenda est ad ius regni promulgatum et ad consuetudines in territorio illius litteris conscriptas. At certe iniquitatis et iniustitiæ foret, ab iudice cognitionem iuris extranei petere et consuetudinum, quæ in territorio illius non habent vim legis simulque litteris mandatæ non sunt. Hinc necessario sequitur, iudicem, qui eas, quas commemoravi, leges utpote non cognitas non adhibet, haud peccare. Quodsi igitur partes magistratum ad iniquum iudicium præcavendum de existentia earum legum certiorem facere debent, non est, cur miremur. At vero in hac re maximi est momenti, animadvertere, illas non eo, quo facta, modo esse tractandas. Si enim iudici leges extraneæ aut consuetudines bene perspectæ sunt, ille sine dubio vi mu-

neris sui eas non potest non allegare atque eam ipsam ob causam, id quod luce clarius est, litigantes leges illas allegare omnino superfluum est. Aliter de factis censendum esse per se patet. Hoc in eo inest, quod in diiudicandis litibus nonnisi eorum, quæ allegantur, factorum ratio adhibenda est. Quodsi accidit, ut iudex eas, quas scire non tenetur, leges non cognoscat, litigantes illi media ad eas cognoscendas suppeditare debere perspicuum est. Falsissimum tamen foret, dicere, hoc quidem casu allegationes legum factis æquiparari. Etenim in his allegationibus litigantium activitas aliam habet rationem et iudex non passive, quomodo fit in allegationibus factorum, sed omnino active se gerit. Quæque igitur declinatio ab regula, qua sancitum est, ut leges a partibus non sint allegandæ, est quiddam singulare et rectissime advertit Puchta: Si hæc declinatio omnino necessaria est, non est, cur super id, quod debet, extendatur; quod contra rationem iuris receptum est, non est producendum ad consequentias; quæ propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi. Hinc verum esse apparet, iudicem vi muneris teneri supplere ea, quæ iuris sunt et a partibus vel earum advocatis omissa, non vero. quæ sunt facta, saltem regulariter. Iudicis igitur est, examinare et reiicere libellum actoris male conceptum, deferre iuramentum calumniæ, repellere testes non legales et quæ sunt eiusdem generis. At vero aliter res se habet cum factis. Generalis enim exstat regula, de cuius veritate nulla controversia esse potest, ad litigantes spectare allegationem eorum, quæ consistunt in factis, uti sunt producere testes, opponere exceptiones aliaque. In his enim vix possumus, quin iudicem, si huiusmodi facta suppleat, se suspectum reddere de studio partium vel præiudicare uni vel alteri parti statuamus. Hæc tamen regula re-

stringenda est. Quodsi enim factum sit notorium, quod nulla probatione indigeat, ut si quis sit publice excommunicatus, si agatur de bono publico, si factum reluceat ex actis et iudici tanquam tali notum sit ex attestationibus vel aliis actis in publicum iudicium deductis, posse imo ex officio teneri iudicem supplere ea, quæ facti sunt, et attendere, etsi pars omittat, vel se in illis non fundet, unanimi fere consensu docent canonistæ*). D.

---

*) Cf. Reiffenstuel Lib. I Tit. XXXII de officio iudicis: „Quæritur V. Utrum, si a litigantibus vel eorum Advocatis aliquid minus dictum fuit, illud iudex supplere possit ac debeat? Respond. I. Ea, quæ sunt de iure, si fuerunt omissa vel minus dicta a litigantibus seu eorum advocatis, potest ac debet iudex supplere, non item illa, quæ sunt de facto, nisi tale sit factum, quod ipsi iam est notum ut iudici etc." Schmalzgrueber Pars IV Tit. XXXII de officio iudicis num 23. Schmier iurisprud. canonico-civil. Lib. II Tractat. I cap. II num. 69. Leurenius for. eccles. Lib. I Tit. XXXII quæst. 901. Glossa ad hunc locum tractat controversiam, an iudex de facto supplere debeat: „Sic ergo patet, quod iudex potest supplere, quæ advocatus omisit: sicut D. Papa hic supplet et de iure debet supplere et non de facto, nisi tale sit factum, quod iam sit ei notum ut iudici, prout dicit Dominus Azo. Alii etiam dicunt, sicut Placentius, quod etiam de facto, et inducunt ad hoc ff. de peti. hære. l. ultima. Sed primum verius est, quod de tali facto supplere tantum debet, quod est ei notum tanquam iudici. arg. Cod. de appel. l. ultim. in fin. 1 respons. et est arg. Instit. de act § si minus ff. de ædil. edict. l. bovem § aliquando. Et debet supplere ut iudex, sedendo et non stando, ne advocati officium sumat. Invenio, quod quandoque iudex supplet, altera parte absente. Cod. de temp. appell. l. 2 § ultimo et Cod. de appell. l. ultima in princip. Sed utraque parte præsente supplere non debet, nisi in casu propter publicam utilitatem, repellendo militem a procuratione, etiam tacente altera parte. ff. de procuratorib. l. filius famil. § veterani et Cod. de procuratorib. l. militem. Et lex, quam inducit Placentius ff. de peti. hære. l. ultima. non obstat, quia

Papa hoc quidem casu plenius etiam pro utralibet partium curavit allegare, supplendo scilicet ac exactius investigando, quæ in attestationibus vel aliis in iudicium deductis de facto proponebantur et quæ ius partium fovere videbantur. Supplet enim iudex, ut dilucide animadvertit Leurenius for. eccles. Lib. I Tit. XXXII qu. 901, ad meliorem veritatis investigationem inquirendo probationes et præsumptiones, non extrinsecus, sed quæ ex ipsa causa oriuntur et apparent reque ipsa insunt, quamvis specialiter non allegentur nec probentur. cf. Decret. Gregor. Lib. II Tit. XXIII cap. 2: ubi sic processisse dicitur Salomon in causa duarum meretricum. At vero S. Pontifex postulationem Episcopi Imolensis non admisit, quia a minori quam a tertia parte fuit postulatus et Apostolica Sedes postulationes huiusmodi in tanta divisione et contradictione non consuevit recipere. Ad hoc enim, ut postulatio præiudicet electioni, requiritur numerus duplo maior numero eligentium. cf. cap. 40 de elect. de quo infra copiosius disputabitur. Neque minus propter incompossibilitatem in utraque ecclesia Romana et Ravennati postulationi Cardinalis assensum præbere recusavit. Manifestum quippe est, ad munus Cardinalis spectare, D. Papam assistentia et consilio adiuvare, quam ob rem præsentia illius in Urbe in commodum ecclesiæ universalis cedit. Sin autem Cardinalis, qui ad ecclesiam ca-

---

potius consulitur illi iudicis officio, quam iure ordinario. Et est simile ei, quod dixi de milite. Nam iudex ex officio suo si scit, aliquem excommunicatum publice, ipsum debet repellere ab agendo, etiamsi ab adversario non excipiatur. de except. cap. except. et sic officio iudicis consulitur adversario, sicut in l. de peti. hæred. l. ult. et hic Papa supplet ex officio suo et de elect. c. cum nobis olim. ubi de hoc dicitur, quare in hoc casu officium iudicis locum habet.“

thedralem promotus est, Romæ residet et ab ecclesia sua abest, huius curam debitam gerere non potest. Itaque S. Pontifex summo iure privatæ utilitati commodum ecclesiæ universalis præferendum ratus*) postulationem illius ad Episcopatum Ravennatem repulit. Accedit etiam tunc temporis, cui sane multum est tribuendum, quod Innocentius impense sollicitus de subsidio Terræ Sanctæ hunc Cardinalem destinaverat, qui expeditionem in illam Terram faciendam promoveret et exercitum comitaretur, id quod elucet ex integra epistola decretali: „et quod maioris meriti sit in huiusmodi necessitatis articulo præire in Terræ Sanctæ subsidium exercitui Iesu Christi, quam suscipere pondus officii pastoralis“ cf. Gonzalez-Tellez commentar. perpet. in Lib. I Decret. Tit. V de postul. Prælat. cap. III.

„*Attendentes autem ex altera parte, quod prædictus Episcopus a minori quam a tertia parte fuerit postulatus et quod Apostolica Sedes postulationes huiusmodi non consueverit in tanta divisione ac contradictione recipere.*“

Quæritur, quot requirantur suffragia postulantium, ut postulatio sit valida et a Superiore admittenda? Sane non requiritur, si postulatio non concurrit cum electione, ut in postulatum omnes consentiant, quamquam fuerunt, qui hoc contenderent, sed omnino approbanda est communis canonistarum sententia**), postulationem a maiori parte factam sufficere. Ratio est, quia secundum regulam generalem in Decret. Gregor. Lib. III Tit. XI cap. I

---

*) Cf. c. 7 qu. I c. 35.

**) Panormitanus ad cap. bonæ 3 h. t. num. 12. Bœcklin lib. I Tit. V de postul. Prælat. num. 34. Reiffenstuel lib. I Tit. V de post. Prælat. num 23. Schmier iurisprud. canonico-civil. lib. I Tract. III cap. II num. 118.

„prævaleat semper et suum consequatur effectum, quod a maiori et saniori parte capituli fuerit constitutum" traditam, in actibus universitatis sufficit, ut pars maior consentiat. At vero si concurrit postulatio cum electione, ita quidem, ut alii postulent, alii eligant, quemadmodum cap. III h. t. factum est, non sufficit pars maior votorum, sed permulti canonistæ ratione habita cap. 40 X de elect. contendunt, hoc quidem casu postulatum tum demum victoriam reportare, si vota duplo maiora *absolute talia* ipsi favent. Controversiæ, quæ hac de re inter canonistas viget, hæc potissima causa est, quod de cap. 40 X de elect. non idem sentiunt. Alii enim iique plurimi*), quibus ego plane assentior, huius epistolæ de-

*) *Pichler* in Tit. V de postul. Prælat. num. 10: „Si postulatio concurrit cum postulatione, h. e. si omnes Capitulares postulant sed diversi diversum, requiritur et sufficit conspiratio maioris partis Capituli. Si vero postulatio concurrit cum electione h. e. si una pars Capitularium postulat Titium, altera pars eligit Caium, nullo impedimento laborantem, postulandus debet habere duas partes tertias, ut eius postulatio sortiatur effectum h. e. debet habere duplo maiorem suffragiorum numerum, quam eligendus v. g. si sint 15 Capitulares suffragia ferentes, debet postulandus ad minimum 10 suffragia habere. Eligendo autem sufficiunt 6 suffragia ex 15, ut eius electio subsistat et ipse præferatur postulato h. e. sufficit, modo numerus suffragiorum superet unam tertiam. Pars prior patet ex cap. I de his, quæ a maiori parte etc. Unde maior pars, quia repræsentat totum Capitulum, regulariter sufficit in omnibus actibus capitulariter gestis, cum censeantur geri a toto Capitulo. Pars posterior habetur in cap. 40 de elect. Ratio datur hæc, quia via ordinaria, qualis est electio, debet esse magis expedita, quam extraordinaria, qualis est postulatio. Neque dicas, cap. 40 correctum esse a cap. 42 de elect. tanquam a iure posteriore; nam dispositio generalis, qualis continetur in cap. 42, non derogat speciali, qualis est in cap. 40 iuxta regulam iuris: generali per speciem derogatur, non per genus speciei." *Pirhing*

cretalis sensum esse existimant, quod vota duplo maiora respectu capituli præsentis omnino requirantur, alii hanc

---

in Lib. I Tit. V de post. Prælat. §. 4 num. 18: „Si vero postulatio concurrat cum electione alterius in discordia, ita ut unus ab una parte Capituli postuletur, alius ab alia parte eligatur, tunc, ut postulatio præferatur et prævaleat electioni, requiritur, ut numerus postulantium sit duplo maior numero eligentium adeoque ut duae partes Capituli in postulationem personae idoneae consenserint. Ratio est, quia postulatio est via providendi extraordinaria et nititur gratia nec ullum ius tribuit postulato, qui defectu aliquo laborat canonico, electio vero est via providendi ordinaria et iure nititur; ideo plura plerumque requiruntur ad postulationem quam ad electionem; nisi postulatio facta sit a duabus partibus Capituli; tunc enim praefertur electioni factae a tertia parte, quia duae partes Capituli totum Capitulum repraesentant, cum potentia Capituli seu Universitatis velut tota in duabus partibus resideat." *Ferraris* in prompta bibliotheca sub voce postulationis num. 27: „Si autem postulatio concurrat cum electione alterius in discordia, id est, si una pars Capitularium unum postulet, et altera pars alium eligat, tunc requiritur, quod postulantium numerus sit duplo maior quam numerus eligentium, ita ut duae partes seu duae tertiae Capitularium in postulationem personae idoneae concurrant, seu consentiant, quibus duabus partibus concurrentibus admittitur postulatio unius et eiicitur electio alterius." *Schmier* in iurisprud. canonico-civil. Lib. I Tract. III cap. II num. 118: „Quando vero postulatio per scrutinium instituitur nec sola est, sed cum electione concurrit, adeo, ut quidam ex Capitularibus eligant, quidam postulent, non sufficit maior pars votorum, sed duae tertiae sicque ex 24 sexdecim consentire debent. Haec sententia semper erat communissima." *Reiffenstuel* in Lib. I Tit. V de postul. Praelat. num. 22: „E contra vero ad postulationem, si concurrat cum electione, requiritur, ut postulantium numerus duplo maior sit, quam eligentium, ita videlicet, ut duae partes tertiae Capitularium v. g. ex quindecim decem stent pro Postulato; alioquin enim est postulatio repellenda iuxta cap. 40 de elect." *Böckhn* Lib. I Tit. V de post. Prael. num 36: „Exceptio est, si postulatio solemnis non sit

opinionem refutare conantur et tum aliis rationibus quum his imprimis verbis innitentes: „Si partes consenserint"

---

sola, sed concurrat cum electione, hoc est, si una pars Capituli aliquem iure impeditum postulet, alia pars vero eligat personam de se habilem; tunc quippe, ut postulatio praevaleat, duabus tertiis debet superare electionem, ut nempe numerus postulantium duplo sit maior quam numerus eligentium." *Schmalzgrueber* in part. II Tit. VI de elect. Prael. num. 19: „Si postulatio concurrat cum electione, quod una pars Capitularium postulet Titium, aliquo impedimento laborantem, altera Caium eligat, maior est controversia. Videtur enim sufficere, si etiam hoc casu in postulandum concurrat maior Capitularium pars. I ex claro textu c. in causis 30 de elect. ubi postulatio Episcopi ad Metropolitanam ecclesiam Tholosanam, pro qua stabant tria suffragia ex quinque electoribus compromissariis, praevaluit electioni Archidiaconi, qui habebat suffragia tantum duo. II quia in omni tractatu capitulari statur suffragiis partis maioris iuxta c. 1 et l. 19 citt. quibus textibus accedit, quia c. quia propter 42 de elect. electio minori suffragiorum numero celebrata, generaliter pronunciatur irrita, non distinguendo, an electio cum electione vel postulatione concurrat. III quia si maior pars suffragiorum hoc casu non sufficeret, id maxime haberetur ex c. scriptum 40 de elect. ubi in concursu electionis cum postulatione electio, facta per suffragia plus, quam tertiæ partis suffragantium, præfertur postulationi, pro qua consequenter non steterunt duæ tertiæ. atqui ex hoc textu nil probatur; imprimis enim dispositio c. quia propter cit. posterior est, cons. istius contrariæ dispositioni derogat; deinde dispositio c. scriptum cit. est tantum provisio specialis, facta casu, quo eligentes et postulantes mutuo consensu electionem et postulationem suam submiserunt Pontifici, ut pro suæ voluntatis arbitrio hanc vel illam admitteret, ut liquet ex textu. — Sed dicendum hoc casu, ut postulatio unius alterius electioni prævaleat, requiri, ut in postulandum consentiant duæ partes; alias si hic duas partes non habeat, eligendus autem pro se habeat plus quam tertiam, prævalebit postulationi electio. Ratio est, quia postulatio est via procedendi extraordinaria, et nititur gratiæ nec ullum ius tribuit

„si constiterit de mutuò convenisse consensu“ sibi persuasum habent, eligentes et postulantes eo ipso consen-

postulato, qui defectu aliquo canonico laborat. Electio est via procedendi ordinaria et iure nititur atque oportet viam ordinariam magis expeditam esse quam extraordinariam et odiosam vel saltem minus favorabilem viam, ut adeo non immerito Innocentius c. scriptum ad postulationem, quando cum electione concurrit, requisiverit duas tertias suffragiorum capituli. Confirmatur ex praxi Curiæ Romanæ, non admittentis huiusmodi postulationes, sed his præferentis electionem, quando ista in concursu cum postulatione pro se habet plus quam unam partem votorum. Neque obstant argumenta opposita. Ad I ibi a toto capitulo in quinque electores compromissum fuit, ut is, quem isti concorditer vel tres ex istis eligerent, pro Episcopo sine aliqua contradictione haberetur.

Unde quum ex ipsis tres convenirent in Episcopum Convennarum, iuxta compromissi formam perinde fecit ac si ille a toto capitulo postulatus fuisset, nam compromissarii vice et nomine capituli eligunt. Ad II. Regula ibi allegata vera est, nisi ius aut voluntas electorum aliter statuat, quod factum est in nostro casu per c. scriptum. Ad III. Constitutio illa c. quia propter generalis est; ea vero, quæ in c. scriptum statuitur, specialis pro casu postulationis concurrentis cum electione; igitur isti prior non derogat, cum omnibus notum sit, generi quidem derogari per speciem, non autem contra. Quod additur, quasi c. scriptum non constituatur ius commune, asserit quidem ibidem glossa, sed interpretes aliique DD. passim negant, ac proinde etiam in similibus casibus eius dispositio observanda erit, ut notat Gonzalez ibid. n. 10 in fin. *Leurenius* in for. beneficial. sect. II cap. I de post. qu. 209. „Respondeo tertio: ut postulatio in discordia concurrens in electione, dum nimirum unus ab una parte capituli postulatur, alter ab altera parte eligitur, sit valida et prævaleat electioni, et hæc cassanda sit, requiritur, ut numerus postulantium sit duplo maior numero eligentium, sive ut duæ partes capituli in postulationem unius personae alias idoneae consentiant.“ Ad hunc locum notat glossa: „Ad hoc enim, ut postulatio praeiudicet electioni, requiritur, ut numerus postulantium sit duplo maior numero eligentium.“

sisse, ut vel electio confirmaretur vel postulatio admitteretur. Secus vero factum esse putant, si eligentes confirmationem electionis, postulantes admissionem postulationis quasi de iure debitam ursissent. Quodsi accidisset, sine dubio reprobata electione minoris partis postulationem maioris partis admittendam esse iudicant, id quod sibi volunt verba: „Si partes consenserint" „si constiterit de mutuo convenisse consensu". —

Verba legis cap. 40 de elect. X hæc sunt: „Scriptum est in Apocalypsi Iohannis etc. De studiis autem eligentium et postulantium et omnibus generaliter, quæ causam possunt instruere, apud Constantinopolim, ubi huiusmodi postulatio et electio celebratæ fuerunt. Et si partes consenserint, procedas hoc modo: ut si constiterit de mutuo convenisse consensu, quod ad electionem patriarchæ septem admitterentur præpositi sive per se ipsos sive per alios, et duo alii ex parte universitatis pro ceteris conventualium ecclesiarum prælatis, totque tunc temporis conventuales ecclesias habuisse prælatos, quod cum septem præpositis et novem canonicis, quos quidem canonicos constat in postulatione præfati archiepiscopi convenisse, *duplo maiorem facerent numerum,* quam sexdecim electores plebani, tu vice nostra *postulationem admittas.* Quodsi ad faciendum *duplo maiorem numerum* simul omnes prædicti *minime sufficerent,* sive dignus sive indignus fuerit postulatus, *tu postulatione repulsa, electionem plebani auctoritate nostra confirmes.* Si vero numerus postulantium inventus fuerit duplo maior, quemadmodum prædictum est, et persona postulata reperta fuerit indigna, ut tam postulationem quam electionem non differas reprobare, nisi forsan omnes aut maior pars postulantium præsumtione damnabili, postulaverint scienter indignum, ut hac vice merito debeant eligendi seu postulandi potestate privari. Et hoc quoque casu

electionem confirmas, si eam de persona idonea constiterit celebratam."

His verbis satis apparet, in concursu postulationis cum electione illam tum demum præferri, si suffragia postulantium duplo maiorem partem efficiunt. Atque hoc iudicium verum esse, expressis et dilucidis verbis D. Papæ edoctus omnino persuasum habeo. Etenim ille clare præcepit: „ut si constiterit etc. ita quod cum septem præpositis et novem canonicis *duplo maiorem facerent numerum* etc. tu *postulationem admittas.* Quodsi *minime sufficerent,* tu *postulatione repulsa electionem plebani auctoritate nostra confirmes.* Neque audiendi sunt, qui hanc sententiam eam ob causam improbent, quod D. Papa dixerit: „Si partes consenserint" „si constiterit de mutuo convenisse consensu". Respondendum enim est, illius clausulæ: „Si partes consenserint" sensum eum esse, quod Delegatus Apostolicus, si partes in illum consenserint, neque exceptionem suspicionis opposuerint vel ex causa legitima recusaverint, modo in hoc Decretali præscripto controversiam dirimere debeat. Porro illud: „Si constiterit de mutuo convenisse consensu" respicit septem Præpositos aliosque extraneos, qui non erant de gremio capituli, in negotio electionis ad ius suffragii admittendos. Non obstat cap. 42 de elect. X „ut in collatione habita eligatur, in quem omnes vel *maior* et sanior pars capituli consentit" quippe quod non attingat concursum electionis et postulationis. In hac re haud prætermittendum est, non per cap. 42 esse statutum, sed iam antea regulam sese offerre, maiora vota ad electionem requiri. Itaque cap. 42 non esse correctorium cap. 40, in promptu est. Huc accedit, quod legi speciali priori haud derogat lex posterior generalis. Hanc igitur ob causam cap. 42 utpote continens ius generale non abrogavit cap. 40, quippe quod contineat ius speciale. —

Ratio, cur in concursu postulationis cum electione duplo maiora vota requiruntur, in eo est, quod postulatio gratiæ Superioris innititur et via extraordinaria et odiosa est, admittenda tamen, si duplo maiora capituli vota postulato favent, quia duæ partes totum capitulum repræsentant. arg. l. Nulli. et l. Plane ff. Quod cuiusque universit. nomin. — Sed existit hoc loco illa quæstio, quid sit iudicandum, si in plures quam duos candidatos diversæ qualitatis vota dispergantur.

Plurimi quidem sententiam amplexati sunt, postulabilem palmam non ferre, nisi vota duplo maiora *absolute talia* ipsi faveant. At vero nonnulli contrarie oppositæ sententiæ dediti contenderunt, vota duplo maiora *respective talia* omnino sufficere. *Böckhn* in Lib. I Tit. V de postul. Prælat. num. 46 dicit: „Verum ut mentem nostram, quamvis neminem consentientem noverimus, libere explicemus, videtur nobis, neque semper in simili eventu duas tertias comparatione ad totum capitulum instituta pro subsistentia postulationis neque semper unam talem tertiam pro valore electionis desiderari; sed comparationem solum inter vota ipsorum postulantium et eligentium faciendam, et proin satis esse, si numerus certam personam postulantium sit duplo maior numero aliam personam eligentium; vicissim vero ad electionem sufficere tot vota, quæ a postulantibus non excedantur in duplo, tametsi non constituant unam tertiam ipsius capituli. Id tamen sic intelligimus quoad priorem partem, ut postulantes iuxta regulam communem semper saltem maiorem partem quoad totum capitulum faciant. Declaramus assertum per exempla. Ponas 24 habentes et exercentes ius suffragii; 14 (qui utique nondum duas tertias explent relate ad capitulum) postulant Titium, 7 eligunt Caium, 3 reliqui in alium coniiciunt vota: hic censemus, admittendam esse postulationem Titii, cum

vota in duplo vincant electionem Caii. In casu converso, si 13 postulent Titium, 7 eligant Caium, quatuor alii in alios vota dispergant, confirmanda erit electio Caii, quæ quidem non facta est ab una tertia totius capituli, sed tamen duplo non exceditur a postulantibus. Ratio nostra est ex cap. scriptum, ubi ita Pontifex Maximo Notario mandat: si postulantes Archiepiscopum duplo maiorem facerent numerum, quam 16 electores Plebani, tu vice nostra postulationem admittas: quodsi ad faciendum duplo maiorem numerum simul omnes prædicti minime sufficerent, postulatione repulsa electionem Plebani auctoritate nostra confirmes. Aperte hic Pontifex comparationem inter ipsos postulantes et eligentes saltem fieri vult; nec quidquam dicit, vota postulantium respectu ipsius capituli duas tertias efficere debere. Et similiter non statuit, numerum constare debere una tertia capituli, sed indefinite ait confirmandam electionem, si numerus postulantium non fecerit alterum tantum. Quia ergo in nostris exemplis præscriptæ conditiones occurrunt, non est, ut aliam textu haud expressam nos addamus. Respondet non nemo, esse verosimile, quod 16 vota eligentium in casu textus tertia pars fuerint, universim 48 vota. Verum id prorsus divinatorium est, nulloque in verbo fundatum: ut adeo ex coniectura tam incerta non possit certa conditio statui. Sane Pontifici nequidem constitisse de vero numero omnium, qui ad electionem seu postulationem illam concurrebant, aut ius concurrendi habebant, ex ipso textu apparet: nam in electione Patriarchæ Constantinopolitani etiam Prælatos Regulares eo tempore suffragia habuisse, ibidem innuitur; procul dubio, quod vigeret adhuc ius vel superessent vestigia eius, quod habetur in cap. obeuntibus 35 dist. 63. Et hinc Pontifex, cum nondum plene ea de re esset informatus, sciens saltem, 16 votis electum

esse Plebanum, Maximo commisit, ut numerum cæterorum exploraret et modo supra dicto procederet. Non ergo supponebat pro indubitato, præcise 48 omnes fuisse, sed ignorabat adhuc, an non essent pauciores vel plures. Sin vero vel uno plures fuissent, 16 iam non erant tertia pars respectu omnium. Igitur dum iussit, confirmari electionem, si pars altera duplo non esset maior, eam in illa quoque hypothesi, qua 16 non essent pars tertia, sustinere voluit. Atque hinc nec vicissim ad postulationem cum electione convenientem determinate requiruntur duæ tertiæ absolute tales, quod in textu etiam non dicitur. Et cum de iure alias sufficiant maiora æque ad postulationem, quam ad alios actus universitatis iuxta num. 34 huic regulæ, quo minus fieri potest, in casu excepto concurrentis electionis derogandum est, si textus excipiens id patiatur. Nos vero clare ostendimus, salvari dispositionem textus in cap. scriptum, tametsi postulantes non adscendant ad duas tertias capituli, cum nihilominus duplo egredi possint vota eligentium. Nec replices, nimium inde probari; quandoquidem et accidere potest, si magna votorum sit discordia, ut postulantes etiam, dum non faciunt maiora, electionem nihilominus in duplo excedant. Dicimus quippe, id Pontificem iam tacite subintellexisse, utpote iuris notissimi, si vota tamen fuerint simpliciter maiora. Atque id omnino verosimiliter præsumere, aut forte ex circumstantiis certo colligere potuit Pontifex, quod in casu sibi proposito ius voti habentes non fuerint ultra 63: ut adeo, si postulantes Archiepiscopum duplo plures fuissent, quam 16 eligentes Plebanum, illi iam effecturi fuissent maiora relate ad omnes."

His Böckhnii verbis plane assentitur *Neller* in dissert. de postul. Prælat. quæst. ad num. 6: „An duæ tertiæ, quæ vulgo requiruntur ad hoc, ut prævaleat postulatio contra electionem secum concurrentem, debeant esse

duæ tertiæ respectu totius Capituli, prout hoc convenerat eligendi causa: an vero sufficiant duæ tertiæ comparatione numeri eligentium? Respondeo ad hanc quæstionem, quam subtiliter movit et secundam partem amplexus est clariss. Böckhn num. 46 licet neminem sibi consentientem noverit.

Sufficit, quod postulantes sint maior pars capituli divisi, eligentes vero pars minor, quodque postulantium numerus sit duplo maior numero eligentium. Ratio est, quia cap. 40 de elect. per hæc duo satisfit: nam delegatus Apostolicus ibi non iubebatur inquirere, an adsint duæ tertiæ totius capituli Constant. sed an postulantes duplo maiorem numerum facerent quam eligentes. Casus figurari debet in tribus factionibus sic: Sunt 24 votantes, 7 eligunt, 14 postulant; tres vota dispergunt, sive eligendo sive postulando, diversum. Dico, postulationem prævalere electioni: quia pro primo adsunt maiora Capituli, ut hoc censeatur postulasse, pro secundo 14 postulantes sunt duplo plures quam 7 eligentes. Ultra nihil in iure requiritur; cumque cap. 40 aliquid statuat contra regulam de maiori parte capituli prævalente, non debet ultra expressa extendi; non est autem idem, dicere, numerus postulantium debet esse duplo maior numero eligentium et dicere, numerus postulantium debet habere duas tertias respectu totius capituli." —

At vero hæc plane recens sententia variis causis iisque gravissimis improbanda est. Vix enim quisquam est, quem fugiat illa, quæ firmissimis innititur fundamentis, regula: In negotio electionis non sufficiunt vota relative maiora sive vota maiora respectu singulorum plurium candidatorum computata, sed absolute maiora sive suffragia maiora respectu totius præsentis capituli, id est, vota, quæ plus quam semissem omnium votorum efficiunt. cf. c. I. Decret. Gregor. Lib. III Tit. XI. — cap.

48, 50 et 55 de elect. X. Quodsi igitur, ut exemplum afferam, ex 24 electoribus Caio 12, Tito 8 et Tullio 4 suffragantur, non est, cur Caius victor discedat, quippe cui respective talia quidem, non vero absolute talia vota maiora faveant. Iam vero nullus dubitationis locus est, quin illa regula in negotio electionis observanda neque explicite neque implicite in cap. 40 de elect. X mutata eiusque vis ad electionem restricta sit. Quam ob rem hæc ipsa regula, si postulatus cum electo concurrit, omnino statuenda est. Hac in controversia tenendum est, postulatum de electo tum demum victoriam reportare, si duplo maiora capituli vota illi favent, idque, quod maximi est momenti, has unice ob causas, quum quia plura plerumque requiruntur ad postulationem, utpote quæ via est providendi quasi extraordinaria, et innititur meræ gratiæ, quam ad electionem, tum ob illud quidem maxime, quia duæ tertiæ partes capituli totum capitulum repræsentant. Quod enim duæ tertiæ partes capituli faciunt, omne omnino fecisse videtur, cum potentia capituli seu universitatis velut tota in duabus partibus resideat*). Cf. D. Lib. III Tit. IV l. 3 et 4. — cap. 19 de elect. X secundum integram eius lectionem.

Hinc sequitur, postulato sive cum uno sive cum compluribus concurrenti et vincenti vota duplo maiora respectu totius capituli non posse non suffragari. Quodsi, ut exemplo utar, ex 24 electoribus 14 postulant Titum, 7 eligunt Caium, tres reliqui in alium conferunt vota, censent quidem Böckhn et Neller postulationem Titi esse admittendam, cum vota in duplo vincant electionem Caii. At vero respondendum est, sine ulla controversia regulæ

*) Pirhing loc. cit. §. 4 num. 18. Leurenius for. benef. loc. cit. qu. 209. 3. Laymann in cap. Bonæ de postul. n. 5.

illius naturæ et rationi haud consentaneum esse, hoc quidem casu Titum palma exornari, quippe cui vota relative duplo maiora faveant. Etenim non in votis duplo maioribus relative talibus sed nonnisi in duabus tertiis totius capituli vim et potentiam capitularem consistere perspicuum est. —

Porro illud in hac re diiudicanda respiciendum esse censeo, id quod animadvertere operæ pretium est, et ex cap. 40 satis elucet, in duos duntaxat candidatos, Archiepiscopum Eradiensem et Plebanum S. Pauli de Venetiis, omnia suffragia fuisse dispersa. Quod quum ita sit, vota duplo maiora respectu alterius candidati etiam duplo maiora respectu totius capituli præsentis, nimirum absolute talia esse in promptu est. Hinc verum esse apparet, S. Pontificis verba: „Quodsi postulantes duplo maiorem facerent numerum, quam 16 electores, tu vice nostra postulationem admittas“ et „Quodsi ad faciendum duplo maiorem numerum simul *omnes* prædicti minime sufficerent, tu, postulationem repulsa, electionem Plebani auctoritate nostra confirmes“ unice de votis duplo maioribus totius capituli esse intelligenda. Quam ob rem longissime a veritate abhorrere illud Böckhnii: Igitur dum iussit confirmari electionem, si pars altera duplo non esset maior: eam in illa quoque hypothesi, qua 16 electores non essent pars tertia, sustineri voluit“ quis est, qui non videat? Manifestum quippe est, postulatum illum, si electo non suffragabatur pars tertia, ultra duas tertias habuisse et victorem discessisse. Itaque falsum est illud „Atque hinc nec vicissim ad postulationem cum electione convenientem determinate requiruntur duæ tertiæ absolute tales.“ Est enim facile ad intelligendum, sexdecim eligentium vota in casu Constantinopolitano, si vota postulantium non effecissent duas suffragiorum tertias, certissime non saltem unam tertiam, sed potius

ultra unam tertiam omnium suffragiorum constituisse. Cum vero S. Pontifex postulationem tum demum admitti voluerit, si vota duplo maiora respectu sexdecim eligentium illi faveant, omnino aliter statui nequit, quam S. Pontificem duplo maiora absolute talia intellexisse. Posita hac, quod in cap. 40 duplo maiora absolute talia intellexerit S. Pontifex, indubitata et arithmetice probata veritate, prona est consequentia, id quod egregie monet Koch*), ut et in casu, quo tres pluresve adsunt candidati, postulabilis non aliter vincat eligibilem, quam votis duplo maioribus absolute talibus instructus. In eiusmodi enim constitutionibus ad ius commune pertinentibus principium iuris generale in iis latens et pro basi decisionis positum separandum esse ab hypothesi casus relati particularis notissimum est. Et cur in casu duorum candidatorum postulabilis demum vinceret eligibilem votis duplo maioribus absolute talibus, in casu autem trium pluriumve candidatorum votis duplo maioribus respective talibus instructus? e. g. Ex 24 votantibus 13 postulant Aulum, 6 eligunt Titium, 5 eligunt Tullium. In hoc casu ex adversariorum sententia vinceret Aulus, quia ipsi favent vota duplo maiora respective talia. Nam quæ differentia est, utrum postulabilis cum uno eligibili, aut cum pluribus eligibilibus aut cum eligibili et postulabili concurrat? cur in illo casu maiorem requiris votorum numerum, quam in hoc? His de causis sententia Böckhnii et Nelleri omnino repudianda apparet. —

Sed existit hoc loco spinosa illa quæstio, num ex Superioris arbitrio pendeat, velitne electum, cui vota ultra tertiam partem omnium suffragiorum favent, confirmare an illius confirmationem recusare. Sunt qui per-

*) Koch in sua dissert. de votis duplo maioribus ad cap. 40 §. 18, quo nemo forsitan praeclarius hac de re disputaverit.

suasum sibi habeant canonistæ, in Superioris arbitrio stare, in casu concursus postulatum, cui quidem maiora capituli simpliciter talia, non autem vota duplo maiora suffragantur, admittere vel electum, cui suffragia plus quam unam tertiam capituli efficientia favent, confirmare*). Equidem huic sententiæ non assentior et electum, qui votis tertiam partem excedentibus gaudet, non posse non

*) *Engel* in Lib. I Tit. V de post. Prælat. n. 6: „Sentiunt tamen DD. quod d. c. scriptum, admittens electionem minoris partis, quando pars maior non elegit, nec postulavit indignum, sit quædam specialis decisio contra communes iuris in materia electionis regulas, fundeturque potissimum in consensu Capitularium, qui simul postulationem et electionem Superiori præsentarunt, atque eo ipso consentire censentur, ut vel postulatio ipsorum admittatur, vel aliorum electio confirmetur; ut proinde in arbitrio Confirmatoris positum videatur, ut consideratis circumstantiis et qualitatibus personarum *vel postulationem admittat, vel electionem confirmet, vel utramque reiiciat, adeo ut ne electio quidem in casu isto ius aliquod ante acquiratur, quam confirmatoris assensus accesserit.*“ *Pirhing* loc. cit. n. 18: „Quodsi denique duæ partes Capituli in postulationem alicuius non consenserunt, sed maior tantum pars postulaverit, minor alium elegerit, tum in utraque et postulatio et electio Superiori præsentatur, is potest pro arbitrio consideratis circumstantiis et qualitatibus personarum *vel postulationem admittere, vel electionem confirmare vel utramque reiicere, adeo ut ne electo quidem hoc casu ius aliquod acquiratur ante consensum a confirmatore praestitum;* nam licet alias regulariter potentia capitularis non possit residere in minore parte Capituli præsentis; si tamen postulantes, qui duas partes Capituli non faciunt, una cum electione facta a minore parte aliorum Capitularium, postulationem suam Superiori repræsentent, eo ipso tacite censentur consentire, *ut vel postulatio ipsorum admittatur vel aliorum electio confirmetur*, quando quidem sciunt, quod postulatio, quæ concorditer ab omnibus vel saltem a duabus partibus Capituli facta non est, non admittatur, nisi ex speciali gratia.“

confirmari existimo, id quod clare colligitur ex cap. 40 de elect. X. — D. Papa enim præcepit notario suo, ut postulationem Archiepiscopi Eradiensis admitteret, si postulantes duplo maiorem facerent numerum quam sexdecim electores plebani, et statim, id quod diligenter animadvertendum est, subiungit: „Quodsi ad faciendum *duplo maiorem* numerum simul omnes prædicti *minime sufficerent*, sive dignus sive indignus fuerit postulatus, tu, *postulatione repulsa, electionem Plebani auctoritate nostra confirmes.* Qua in re id potissimum spectandum esse censeo, quod confirmatio, quippe quæ iuri iam adquisito maius robur et auctoritatem tribuat et ius in re det, ius ad rem in electo iam supponat. Sicuti sponsalia de præsenti supponunt ius iam quæsitum per sponsalia de futuro, ita etiam præexistit ius ante confirmationem. Quodsi igitur D. Papa mandavit Notario suo, ut electionem plebani, cuius vota eligentia tertiam partem superarent, confirmaret, electo illi plebano, qui suffragiis ultra tertiam capituli instructus sit, per electionem acceptatam ius acquisitum fuisse iudicavit. Quod quam verum sit, historia ecclesiastica satis testatur. Anno 1688 ex 24 capitularibus ecclesiæ Coloniensis vacantis 9 capitulares in Archiepiscopum elegerunt Serenissimum Josephum Clementem e Ducibus Bavariæ, Episcopum tunc temporis Frisingensem et Ratisbonensem (obtento prius Breve Eligibilitatis), 13 capitulares postularunt Eminentissimum Cardinalem Egonium de Fürstenberg, Episcopum Argentinensem, duobus votis in alios collatis. Sacra congregatio, rebus consistorialibus præposita, illius electionem tanquam canonicam et legitimam declaravit die 15 Sept. 1688 eamque S. Pontifex Innocentius XI die 20 Sept. eiusdem anni confirmavit. Resolutio sacræ congregationis sic concepta fuit: „Sacra congregatio, rebus consistorialibus præposita, examinato authentico instru-

mento a Canonicis et Capitulo ecclesiæ Metropolitanæ Coloniensis tradito per Syndicum suum Archiepiscopo Damasceno, Apostolico ad Tractum Rheni Nuntio, in quo a tredecim ex viginti quatuor Capitularibus Eminentissimum et Reverendissimum Cardinalem de Fürstenberg, Episcopum Argentoratensem postulatum et a novem ex iisdem Capitularibus Serenissimum et Reverendissimum Josephum Clementem e Bavariæ Ducibus, Episcopum Ratisbonensem et Frisingensem, in Archiepiscopum et Electorem Coloniensem vigore Apostolici Indulti Eligibilitatis, illi prævie concessi, electum fuisse constat, reliquis duobus suffragiis in alios collatis, omnibus mature et diligentissime perpensis, unanimi Patrum sententia censuit, si Sanctissimo Domino nostro placuerit, *præfata postulatione de persona eiusdem Cardinalis repulsa, confirmandam esse electionem de persona eiusdem Josephi Clementis,* cum clausula supplente omnes defectus, quatenus opus sit: et facta relatione, Sanctitas Sua sacræ congregationis sententiam benigne probavit." — His elucet, electo cuius vota unam tertiam partem totius capituli præsentis superant, ius ad Prælaturam ecclesiæ viduatæ conferri. Etenim confirmatio in sensu proprio accepta non dat actui sed supponit valorem, ac ius inde quæsitum eumque magis roborat cf. cap. 6 X (2, 22). — An recte riteque fieri possit, ut D. Papa vocem „confirmare" usurpet, quin illi ullum ius tribui statuat? Quod quidem si veritate niteretur, plane aliam significationem, quæ a notione „confirmationis" in vita communi usitatæ omnino aliena est, voci „confirmare" eum submisisse perspicuum est, id quod certe nemo contendere potest, quem praxis Curiæ Romanæ haud fugit. Quam ob rem nihil obstat, quin vox „confirmationis" intelligatur, qua electum acquisivisse ius ad Prælaturam declaretur. Ac-

cedit, cui sane plurimum tribuendum est, quod alterum Decretum Sacræ Congregationis illum Serenissimum Josephum Clementem vocat *canonice electum*, et in Brevi Apostolico de die 20 Sept. 1688, quod incipit: „Apostolatus Officium“ dicitur: „*cum tu electioni præfatæ de tui Persona, sicut præmittitur, factæ legitime consensisse* etc.“ Quodsi enim in concursu electionis cum postulatione electi confirmatio in arbitrio Superioris stat, ille consentire non potest, non debet. Etenim magna electum inter et postulatum intercedit differentia, quod ille, ut alia, quæ infra fusius demonstrabo, omittam, in suam electionem consentire potest, postulatus vero non potest, nisi sub conditione, si postulatio rata habeatur et dispensatio a Superiore indulgeatur, eo quod huic nullum confertur ius ad Praelaturam. Quo igitur in casu si Serenissimus ille Josephus Clemens legitime consenserat, ius illi acquisitum erat, neque ex gratia D. Papæ dependebat, num electionem illius confirmare vellet nec ne. Si quæ adhuc existat dubitatio, hæc facili negotio tolli potest, si respicitur id, quod D. Papa illis verbis: „cum tu electioni etc.“ adnectit. Etenim addit, se de peracta ex parte electione et ex parte postulatione totum petitæ *Confirmationis et Admissionis Respective negotium* Congregationi Cardinalium Consistorii commisisse. Sic confirmatio opponitur admissioni neque igitur ullus dubitationis locus relinquitur, quin vox confirmationis in sensu proprio sumatur eaque nihil aliud intelligatur, quam actus iustitiæ, quia confirmatio ius iam supponit. —

Anno 1737 ex 25 Capitularibus, qui in scrutinio præsentes erant, 13 postularunt L. B. de Fürstenberg, 12 autem elegerunt L. B. de Bœselager ad Abbatem Corbeiensem. D. Papa *repulsa postulatione electionem confirmavit.*

Hinc verum esse apparet, id quod plurimi canonistæ docent*), electo, cui concurrenti cum postulato vota ultra tertiam partem totius præsentis capituli favent, ius ad Prælaturam ecclesiæ viduatæ acquiri, ita quidem, ut eius electio a Superiore non possit non confirmari, data nimirum eius idoneitate. Ad hoc animadvertit Koch in

*) *Schmier* loc. cit. n. 137: „Nihilominus affirmativam sententiam opinor, tum quia in cap. 40 iubet Pontifex, Electionem cum Postulatione, in qua duæ tertiæ non convenerant, coniunctam et maiori, quam tertia parte celebratam, auctoritate sua confirmari, ideoque supponit, electo ius acquisitum fuisse, non primum acquirendum, cum confirmatio non det, sed supponat ius præexistens. arg. cap. cum dilecta 4. de confirmat. ut. vel inut. tum quia decisione Innocentii XI Electio Clementis, in quam ex 24 Capitularibus 9 consenserant, tanquam canonica est approbata et postulatio de Fürstenberg, ad quam 13 concurrebant, cassata.“ *Schmalzgrueber* p. II tit. VI de elect. prælat. n. 20: „Quæritur, an casu, quo Electio in concursu cum postulatione plus quam unam tertiam suffragiorum partem pro se habet, Electo quæratur ius ad Prælaturam, ita ut a Superiore, posito, quod idoneus sit, necessario confirmari debeat? Negant alii. Sed affirmativa videtur esse iuri conformior præsertim, quum adversarii nullo iuris textu, neque textu neque etiam ratione firment opinionem suam. Colligitur I ex c. scriptum, ubi Pontifex Notario suo præcipit, ut Electionem sic factam Auctoritate Apostolica confirmet; atqui confirmatio iam supponit ius in confirmando, quippe quæ non dat esse actui, quam confirmat, sed tantum maius robur et auctoritatem eidem conciliat; igitur si confirmanda erit iussu Pontificis hæc electio, ius in Electo præcedens iam supposuit. II Confirmatio ad Electionem se habet, sicut Sponsalia de praesenti supponunt ius iam quaesitum per sponsalia de futuro, a se ratificandum, ita etiam confirmatio succedens Electioni. III Electio in hoc casu ideo a DD. Butrio, Imol. Vallens. etc. praeferenda dicitur, quia postulatio nititur gratia, electio autem iure, quod difficilius expugnatur; atqui ratio ista inepte daretur, si per talem Electionem ab Electo acceptatam nullum acquireretur ius, propter quod ipsius conditio melior esset, quam postulati: ergo etc.“

sua prælaudata dissertatione: „Ut integrum unum votum supra tertiam partem adsit, non præcise requiritur, quia Pontifex in cap. 40 electionem confirmari iubet, si vota postulantium, quorum numerus certus ignorabatur, duplo maiorem non facerent numerum, quam 16 vota eligentium. Nimirum aliquando numerus votorum totus in tres partes æquales nonnisi per fractiones dividi potest, aliquando sine fractionibus. In hoc casu eligibilis unum votum ultra unam tertiam habere debet, non autem in illo. Sumamus casum ex cap. 40 et fingamus totum votorum numerum fuisse 47, cuius tertia pars sunt $15\frac{2}{3}$. Nunc eligibili favebant 16 suffragia, ergo habebat trientem unius voti ultra tertiam partem Capituli, non vero integrum votum excedens. Nihilominus tamen secundum clara cap. 40 verba in eo casu, si totus votorum numerus fuisset 47, eligibilis, cui 16 suffragabantur, victoriam reportasset."

D. Papa postulationem Episcopi Celonensis repulit, idque summo iure, quia ne tertia quidem pars suffragiorum illi favuit. Si admissio postulati, omnibus quamvis requisitis expletis, gratiæ nititur, multo minus admitti debet, quando ne tertia quidem pars in postulando concordavit. —

„Cum etiam, quando aliquis ab aliis unanimiter postulatur, ad admittendam postulationem eorum non tam ex iustitia, quam gratia moveatur."

Quamvis postulatio et electio in eo conveniant quod utraque ad eundem finem, nimirum ad providendum ecclesiæ de Prælato, tendat, magnum tamen discrimen inter utramque intercedit. Postulatio enim spectat ad personam, quæ defectu laborat canonico, ita quidem, ut hæc eligi non possit, at vero electio supponit personam, quæ nullo ligata est impedimento. Eligitur quidem dignus et

habilis, postulatur vero, qui est dignus, sed inhabilis, licet non omnino. Itaque postulatio innititur gratiæ Superioris, illaque est mera postulantium supplicatio pro gratia Superioris, in cuius arbitrio stat, velitne in vota petentium concedere an postulata recusare. Electionem vero canonicam, utpote omnino in iure quæsito fundatam, nunquam non confirmare potest Superior, si quam denegandi causam non invenerit. Petitio capituli de promovendo postulatum, quippe qui patiatur defectum canonicum, iure suffragante haud fulcitur nec iuris quoddam ipsi postulato accepta licet postulatione tribuitur, priusquam a Superiore postulatio fuerit ratihabita*). Postulatum igitur nonnisi ex gratia et indulgentia admitti, quum dispensatio sit actus gratiæ, perspicuum est, id quod his ipsis verbis D. Papa asserrere non dubitavit: „Sedem Apostolicam, quando aliquis etiam unanimiter ab aliis postulatur, ad admittendam postulationem eorum *non tam ex iustitia quam ex gratia* moveri." Nec non

*) *Zoësius* Tit. V de post. Praelat. num. 11: „Per solam postulationem nullum ius acquiri postulato sive quoad postulantes, qui non tam consentiunt, quam votum suum declarant; sive quoad postulatum, qui per Canones impeditur quid iuris acquirere ad Praelaturam." *Reiffenstuel* loc. cit. §. 1 num. 13: „Ratio est, quia postulatio nullum tribuit ius Postulato, utpote qui habet defectum, quem proinde Superior non tenetur dispensative admittere ex iustitia, sed solum ad dispensandum cum eo, atque ad eius admissionem concedendam quandoque movetur ex gratia." *Schmier* loc. cit. sect. 1 §. III num. 27: „Cum ex num. 6 compertum sit, postulationem in gratia non in iustitia fundatam esse, postulatio etiam concorditer facta nullum postulato ius tribuit. *Schmalzgrueber* loc. cit. §. 1 num. 3: „Ante admissionem autem postulatio nullum ius tribuit postulato, quia a gratia Superioris dependet." *Garcias* Lib. I quart. p. cap. III. num. 7: „Ex postulatione autem non quaeritur ius postulato, quia dependet a gratia domini."

id desumitur ex cap. V h. t. Nam cum Capitulum Strigonense Archiepiscopum Colocensem postulasset, quidam vero capitulares huic postulationi morem non gessissent, allegantes se esse contemptos, seu non vocatos, D. Papa re delata rescripsit: „Licet per postulationem huiusmodi *nullum ius* sit alicui acquisitum, ideoque *sine præiudicio alicuius* postulationem potuissemus repellere memoratam etc.“ Unde elucet, postulatum utpote canonico ligatum impedimento indeque a Dignitate exclusum, nullum acquirere ius ad illam nullamque repulsa postulatione ipsi irrogari iniuriam. — Aliter res se habet cum electione. Hac enim secundum Sanctos Canones celebrata et ab electo acceptata, ius ipsi confertur ad Prælaturam ecclesiæ viduatæ, ita ut absque iniuria non possit alius per novam electionem aut aliam provisionem eidem ecclesiæ præfici, nisi defectus quispiam in qualitatibus electi vel in negotio electionis detegatur*). Inde electio a Supe-

*) *Ferraris* sub voce postulationis num. 4: „Ac proinde postulatio innititur gratiae, electio iuri, ut notat glossa communiter recepta in cap. unico Verb. eligo postulando de postulat. Praelat. in 6. Postulatio enim nullum tribuit ius postulato, utpote ex aliquo defectu inhabili, quem Superior non tenetur dispensative admittere ex iustitia, sed solum ex gratia. cap. Bonae memoriae 3 de post. Praelat. Electio autem, si sit canonice celebrata et ab Electo acceptata, tribuit ius ipsi ad Praelaturam seu Dignitatem et ei, si dignus et idoneus sit, ut supponitur, ex iustitia debetur.“ *Pirhing* loc. cit. §. III num. 15: „Ex quo patet, quod postulatio etiam concorditer facta, vel saltem a duabus partibus Capituli, a Superiore absque cuiusdam praeiudicio seu iniuria repelli sive non admitti possit, cum per eam nullum ius sit alicui acquisitum, ut expresse in textu dicitur; nam alioquin, si talis postulatio etsi unanimiter facta sine iniuria reiici non posset, prout vult Abb. hic. n. 2. tum capitulares Strigonienses iuste a Papa exigere potuissent, ut praemissa causae cognitione hanc suam postulationem, quippe unanimiter et legitime factam, admitteret; nam

riore *confirmari*, postulatio *admitti* solum, postulatio *repelli*, *reiici*, electio *cassari* dicitur. His, quæ hucusque

illi, qui ius electionis sibi competere asserrebant et postulationi se opponebant, eo quod non essent vocati, non erant e capitulo Strigoniensi, ideoque hoc negavit eorum praetensionem, ut recte notavit Laymann h. c. et num. 16: „Porro ratio, cur Superior non tenetur, ex obligatione iustitiae proprie dictae admittere postulationem etiam concorditer factam, est, quia tota admissio postulationis nititur gratia Superioris, ut patet tum ex c. Bonae 3 ibi. non tam ex iustitia, quam ex gratia, tum ex eo, quia gratiam dispensationis continet, cum in postulato semper sit impedimentum seu inhabilitas ad Praelaturam obtinendam, in qua Superior dispensare debet. Omnis autem dispensatio Superioris in impedimento vel defectu, non ex iustitiae debito proprie sed ex gratia procedit, cum iure inhabilis ad rem aliquam non habeat ius exigendi illam tanquam sibi debitam; ergo per postulationem nullum acquiritur ius postulantibus vel postulato et consequenter nulla etiam illis irrogatur iniuria proprie dicta, etiamsi reiiciatur quaevis postulatio a Superiore.“ *Leurenius* loc. cit. §. 1 qu. 199 n. 2: „Respondeo secundo: differentiam praecipue in eo esse, quod electio innitatur iuri, postulatio gratiae, in hoc sensu, quod per postulationem quis praesentetur, ut ex gratia illum admittere velit et instituere; per electionem vero canonicam quis vocetur ad Praelaturam, ita ut Superior electionem confirmare debeat. Electio enim legitime acceptata ab electo confert ei ius ad Praelaturam, ita ut sine iniuria a Superiore, cuius est eum instituere aut confirmare, reiici nequeat, si de caetero dignus sit. Econtra postulatio postulato ante admissionem ius nullum tribuit, cum summo iure possit reiici.“ *Fr. Florens* in tract. ad lib. I. decret. tit. V ad post. Praelat.: „ita ut si postulatio unanimiter facta sit, et postulati persona idonea, possit tamen ultro et sponte a Pontifice reiici; pendet enim ex gratia et indulgentia, non autem ex iustitia. Quare nec ante admissam postulationem a Pontifice ius ullum acquiritur postulato nec etiam si admittatur, praeiudicium ullum fit ei, qui vocatus non fuit ad postulationem faciendam.“ *Cardinal de Luca* de Regul. disc. 13 n. 9: „Atque ita per argu-

dixi, omnino consentaneum est, postulantibus re adhuc integra, id est, dummodo postulatio Superiori actualiter præsentata necdum sit, libere pœnitere et postulationem, quantumcunque fuerit publicata, revocare et ad novam provisionem procedere haud interdictum esse*). Attamen

mentum a fortiori magis de plano resultabat solutio secundi obiecti, fundati in iure postulatorum, quoniam si in hac Religione ipsa electo nullum ius tribuit, multo minus tribuere potest postulatio, quae etiam in terminis iuris communis, quibus attentis per electionem acceptatam vel pendente termino ad acceptandum quoddam ius quaeri dicitur, adhuc tamen postulato nullum ius quaeritur, cum postulatio redoleat solum preces, quae porriguntur Superiori, ut ex gratia non autem ex iustitia postulatum praeficiat ideoque in Superioris arbitrio est, concedere vel denegare neque exinde postulato ius competit appellandi vel recursum habendi.“ Cf. Zerolus in prax. Episc. p. 1 verb. ius ad rem §. 14. Riccius in coll. decis. p. 5 collect. 1648. —

*) *Barbosa* ius eccl. univers. Lib. I cap. 19 n. 20: „Differt quoque electio a postulatione, quia in electione publicato scrutinio non licet variare et alios nominare sed collatio facienda est et electio celebranda. In postulatione vero licet variare et a postulatione recedere, quousque illa fuerit Superiori praesentata. Ratio diversitatis est, quia per canonicam electionem quaeritur electo ius ad rem, quod ab eo absque ipsius facto auferri non debet, postulato vero nullum ex postulatione ius quaeritur.“ *Murga* loc cit. n. 129: „Quarto quaeritur, an postulantes variare queant? hoc est, an postquam unum petierunt, alterum nominare et postulare possint? Exempli causa: Maior collegii pars concordi sententia convenit, ut Titium peterent; quaeritur, possitne mutata voluntate Caium postulare? Respondeo, in hoc postulationem ab electione discerni, quod eligentibus semel electione facta non est fas mutare sententiam et alterum eligere. Nam per electionem ius est electo acquisitum, ut confirmationem petat; at postulantes post postulationem ad Superiorem delatam variare et mutare sententiam queunt. Ratio huius est, quoniam postulatus nullum sibi ius per solam postulationem acqui-

postulatio, Superiori exhibita atque tradita, innovari nequit, ne postulantes illi illudere videantur. Testis est cap. IV h. t.: „Si enim postquam postulatio subscriptionibus postulantium roboratur et præsentatur Romano Pontifici approbanda, possent ab ea recedere postulantes, nobis frequenter illuderent et iudicium nostrum ex eorum pendere arbitrio videretur." cui adnectit glossa: „Quod esse non debet."*) Quodsi Superior cum pos-

---

rit, quia postulantes non proprie consentiunt sed votum suum declarant, et qui postulatur, cum iure canonico sit praepeditus, ius ad Praefecturam sibi comparare ex postulatione non potest." *Schmalzgrueber* l. c. §. 4 n. 21: „Quaeritur an postulantes variare possint seu recedere a postulatione. Respond. distinguendo: Vel enim postulatio iam est praesentata Superiori vel nondum ei est praesentata. Si primum, postulantes sine consensu Superioris, cui praesentata est, non possunt amplius ab illa recedere et alium eligere vel postulare, sed iudicium eius exspectare debent. Si secundum, possunt postulantes variare et resilire a postulatione, idque verum est, etsi scrutinium apertum sit vel etiam nuntius ad Superiorem destinatus." *Schmier* l. c, §. III n. 28: „Consequens huic est, quod postulantes variare ac neglecta postulatione vel ad novam postulationem vel ad electionem procedere valeant, si postulatio necdum Superiori sit praesentata. Quod enim in electione nequeant resilire electores, postquam scrutinium est publicatum, cap. publicat. 58 de elect. et multo magis, postquam electus in electionem praestitit consensum, unica est ratio, quia electo iam est ius quaesitum. Ergo, quia postulato ante Superioris admissionem nullum est ius quaesitum, postulantibus non est interdicta variatio.

*) Cf. *Schmier* l. c. n. 39: „Dixi superius, postulantes a postulatione recedere posse, nisi Superiori praesentata iam fuerit. Enim vero, licet praesentatio postulationis facta Superiori non maius ius postulato tribuat, quam ante habuerit, ne tamen postulantes Superiori illudere voluisse praesumantur, nequeunt post praesentationem amplius mutare propositum, sed ulteriorem Superioris resolutionem exspectare tenentur." *Fagnanus*

tulantibus consentit, hos quidem postulationem variare posse, manifestum est, quia tunc cessat ratio illudendi illi. In foro tamen conscientiæ postulantes postulationem revocare nequeunt absque gravi et iusta causa, quia talis recessio, ut omittam discordias et inimicitias, quæ oriri solent, cedit in præiudicium honoris et reputationis postulati habetque in se contumeliam, cui quidem sententiæ omnes fere canonistæ favent. Rectissime igitur docet Passerinus: „In foro tamen conscientiæ non possunt electores sine iusta causa a postulatione recedere, quoniam nequit negari, quin in hoc foro, quidquid non fit ex causa rationabili et fine honesto, peccatum sit et præterea de facili contingere potest, ut hæc variatio sine iusta causa facta sit in præiudicium honoris et reputationis postulati*).“ Propter postulationem non solum a D. Papa, cuius sedes a nemine iudicatur, sed etiam ab Inferiore repulsam postulatus non habet, unde iuste conqueratur. Actio enim est ius petendi id, quod ex iustitia alicui debetur. Verum tam vero postulantes ad Superiorem confugere possunt, si Inferior humiliter ac sæpius requisitus contra evidentem ecclesiæ necessitatem vel utilitatem haud invitus est admissurus postulationem, ne malitia vel duritia Prælati inferioris ecclesiæ damnum inferat. Accurate igitur et egregie disputat Reiffenstuel l. c. n. 72: „Si postulatio cæteroquin rite fuerit celebrata, eius admissionem exigat publica causa, ut puta, necessitas vel utilitas ecclesiæ, tenetur ipsam Superior admittere nec potest eam refellere absque iniuria postulantium et ecclesiæ, in qua facta est postulatio. Ita gloss. nota-

de post. Praelat. c. Bonae memoriae num. 49: „Ita et postulato acquiritur ius ex postulatione, posteaquam fuit Superiori praesentata, ita ut non liceat postulantibus ab ea resilire.“

*) Cf. *Leurenius* l. c. qu. 212. 5.

bil. Ratio est, quia Superior ex lege iustitiæ legalis ac vi sui officii tenetur, necessitatibus commissæ sibi ecclesiæ atque utilitatibus Boni communis providere; ergo etiam tenetur admittere postulationem, quoties viderit, ita exigere causam publicam, sive necessitatem magnamve utilitatem ecclesiæ, in ipsos etiam postulantes redundaturam. Sin minus, fiat his iniuria, ob non rite administratum sibi officium pastorale. Hinc notat glossa in cap. III h. t. quodsi Prælatus Papa inferior, habens potestatem dispensandi, nolit hanc, licet concorditer atque ex gravi causa celebratam, admittere, postulantes possint Superioris Prælati officium implorare. Licet enim ex postulatione actio non detur, adhuc tamen locum habet imploratio officii iudicis; nam remedium implorationis officii iudicis conceditur, cum deficit actio proprie dicta. Atqui in tali casu potest Superior ille Prælatus compellere Inferiorem ad postulationem admittendam, si subsit causa tam iusta et concernens utilitatem ecclesiæ, puta, quia postulatus est potens ad defendendam ecclesiam, aut bene doctus, sive morigeratus, licet non legitime natus, simulque non reperitur alius, per quem ita bene consulatur ecclesiæ. In Papam vero non cadit talis compulsio, cum non habeat talem Superiorem in terris. Unde respectu istius locum non habet imploratio officii iudicis sed potius postulantes gratiam debent implorare ab ipso." —

Id porro discriminis interest postulationem inter et electionem, quod electus in suam electionem consentire potest, postulatus non potest, nisi sub conditione, si postulatio rata habeatur et dispensatio a Superiore obtineatur. Franciscus Ludowicus in Trevirensem postulationem anno 1716 hoc tenore consensit: „Postulationi huic eatenus non aliter in Domino assensum meum commodo, quam si Sanctissimo Domino nostro Papæ Clementi, cuius voluntati totum subiicio, visum fuerit, me

Archiepiscopali huic ecclesiæ, temporum acerbitate in extremam desolationem deductæ, utilem ac pro eadem rursus erigenda parem esse; simulque placuerit, dispensando indulgere, ut una cum Coadiutoria Moguntina ecclesias cathedrales Wormatiensem et Vratislaviensem, quibus ex Sanctitatis Suæ benignitate præsum, Præposituram etiam Evacensem ac reliqua beneficia, quæ possideo, possim retinere." Accedit, quod postulatus, utpote qui non acquirit ius, ante admissionem nullo modo ecclesiæ, ad quam postulatur, administrationi et curæ sese immiscere debet, licet ecclesia foret de remotis, et idem iudicandum esse apparet, si quis fuerit unanimiter postulatus. Quodsi quis quærat, cuinam admissio postulationis competat, in hac quæstione solvenda omnino opus est distinctione. Nimirum si agatur de admissione postulationis simplicis, nulla dubitatio esse potest, quin illa spectet ad eum Superiorem, cuius iurisdictioni postulatus subditus sit. At vero quod ad postulationis solemnis admissionem attinet, hæc competit illi Superiori, cuius est canones et iura laxare ac vinculum, quo postulatus obstringitur, solvere, ut omni impedimento semoto eligi possit. Plerumque unice in S. Pontifice illa dispensandi facultas inest. — Attamen interdum adeundus est Episcopus, si ad dignitates inferiores vel personatus aliqui postulantur, quibuscum potest per illum dispensari.

Mandantes, quatenus cum his, qui vocem in electione habere noscuntur, per electionem, postulationem seu nominationem canonicam in personam idoneam convenire curetis.

Differentiam quam maximam esse postulationem inter et electionem, supra fuse exposui. Restat, ut de nominatione pauca disseram. Hæc dividitur in minus solem-

nem et solemnem. Illa est teste Panormitano ea, quæ præcedit scrutinium sive quæ fit in collegio idoneos quosdam viros proponendo, ut de iis fiat scrutinium. Nominatio solemnis est actus, quo duæ vel plures personæ habiles a Capitulo D. Papæ vel alteri Superiori præsentantur simul cum petitione, ut ille unam ex præsentatis ecclesiæ viduatæ præficere dignetur. Quamvis magna nominationem inter et postulationem ac electionem cognatio intercedat, notabiliter tamen hi tres provisionis modi inter se differunt. Ut eas, quæ adsunt, multas differentias silentio prætercam, id potissimum animadvertendum est, quod nominatio fiat de pluribus, eo quidem consilio, ut ex illis unus promoveatur, qui magis Superiori placuerit. —

Hoc quidem loco docet D. Papa, eum, qui eligere possit, etiam posse postulare. Statuit enim: „Qui vocem in electione habere noscuntur" i. e. qui eligere noscuntur, per electionem, postulationem etc. i. e. eligere, postulare et nominare etc. curetis. Hæc igitur regula statuenda est, ut ii, quibus ius eligendi competat, etiam ius postulandi habeant. cf. cap. 30 de elect., ubi glossa ad vocem „postulatio" notat: „Hic habes, quod, qui dati erant ad eligendum, possunt postulare et de alia ecclesia." — Cf. cap. XI de renunt. ubi glossa notat ad verbum „liberam": „Et nota, quod, qui potest eligere, potest postulare." Est enim postulatio quiddam accessorium ad electionem, est nil aliud, quam electionem de postulando Prælato facere. Electio et postulatio ob unitatem finis, nimirum provisionem ecclesiæ vacantis decernendam, ex dispositione iuris pro actibus subordinatis et connexis reputantur, id quod testatur cap. IV h. t. „Omnes, quorum consensus in electione vel postulatione requiritur." Atque hanc eam ob causam compromissarius unanimi consensu ad eligendum delegatus, censetur etiam

ornatus esse facultate postulandi, quod quidem clare colligitur ex cap. 30 de elect. — Capitulares ecclesiæ Tholosanæ vacantis duos de gremio capituli elegerant, ut hi de eodem capitulo quinque eligerent electores, qui præstito iuramento de electione pastoris tractarent, simulque, statutum fuit, ut ille, *quem hi quidem quinque eligerent*, vel tres ex illis, dummodo persona esset idonea, pro Episcopo haberetur. Quum illi compromissarii in unam personam non possent concordare, tres ex iis *postularunt* Episcopum, duo elegerunt Archidiaconum. Unde factum est, ut causa ad Sedem Apostolicam deferretur et ab utraque parte exponeretur. Interim vero capitulum revocavit potestatem compromissariis traditam, et subsequenti die, quum tres illi ad capitulum non convenissent, una cum duobus aliis Archidiaconum elegit. Verum tamen vero D. Papa rescripsit hunc in modum: „Quia *postulatio* de Episcopo Convennarum facta fuit per *illos, in quos totum capitulum eligendi transtulerat* potestatem, propter quod de consensu totius capituli intelligitur esse facta, cum res non esset integra, potestatem illam capitulum non potuit revocare, et ideo electionem ipsius Archidiaconi decernimus irritandam. Quocirca mandamus, quatenus si personam etc. transeundi ad ecclesiam Tholosanam ei licentiam tribuatis." Neque minus elucet, procuratorem illum, cui ab ipsius principali potestas eligendi sit demandata, eadem postulandi et eligendi potestate insignitum esse intelligi, dumne illa expresse recusetur. —

Actus electionis triplicem habet modum, nimirum scrutinium, compromissum et inspirationem. Modus in praxi frequentissimus est scrutinium, cuius requisita proponit cap. 42 X de elect. his quidem verbis: „Statuimus, ut cum electio fuerit celebranda, præsentibus omnibus, qui debent (gloss.: hoc ideo dicit, quia omnes, qui habent

ius in electione, sunt vocandi) et volunt (gloss.: bene dicit, qui volunt, quia si quis non vult interesse electioni, alii procedere possunt sine illo) et possunt commode interesse (gl.: hoc ideo dicit, quia si commode et sine periculo vocari non possunt, non sunt vocandi) assumantur tres de collegio fide digni, qui secrete (gl.: sicut testes in secreto deponere debent, ut liberius verum pronuntient) et sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant et in scriptis redacta (per ipsos scrutatores vel per tabellionem) mox (gl.: id est, incontinenti nullo actu contrario intermedio post vota quæsita et uno contextu) publicent in communi: nullo prorsus appellationis obstaculo interiecto, ut in collatione (gl.: scil. numeri ad numerum, ut sciatur, in quem maior pars consentit et zeli ad zelum et meriti ad meritum debet fieri collatio) habita eligatur, in quem omnes vel maior et sanior pars capituli consentit". Compromissum in eo est, ut unanimiter a capitulo uni vel pluribus capitularibus, imo clericis, qui non sunt de gremio capituli, electio committatur. Per quasi inspirationem electio absolvitur, quum electores omnes quasi divino spiritu afflati in eum repente feruntur, de quo antea vix cogitaverant, seu per quasi inspirationem rite dicitur electio celebrari, cum omnes simul congregati subito et repente aliquem eligunt concorditer, una voce, nullo prorsus tractatu nullaque instigatione hominis præcedente. Quodsi quis quærat, num forma eligendi modo exhibita atque præsentata in ipsa postulatione sit observanda, alii aliud docent: sententia tamen eorum, qui illud negant, SS. Canonibus magis convenire videtur. Manifestum quippe est, per electionem legitime factam et ab electo acceptatam ius ad rem electo acquiri, ita quidem, ut Superior electionem confirmare teneatur. Secus vero procedit cum postulato, utpote qui per postulationem nullum acquirit ius.

Quam ob rem nihil mirum est, quod ad electionem maior etiam forma solemnitatis requiritur, quam ad postulationem, sicut etiam testamentum, quippe qui actus perfectior sit, plures a lege requirit solemnitates, quam codicillus. Quod quam verum sit, elucet ex cap. IV h. t „licet diversis temporibus convenerant“. Si enim scrutinio opus esset, uno eodemque tractu temporis id continuari deberet et consensus diversis temporibus exhibitus foret inutilis. Suadent tamen multi canonistæ, ut forma in cap. 42 pronuntiata in postulando servetur. —

Sequitur, ut docendum sit de formis eligendi vel postulandi iure reprobatis. Bonifacius Papa VIII in cap. unic. in 6. (1, 5) prohibet, „ne sub aliqua ex iis formis, quas perniciosa curiositas adinvenit: eligo postulando et postulo eligendo aut eligo postulandum et postulo eligendum, cum nec vera electio nec vera postulatio resultet ex iis, quin sibi potius invicem adversentur: aut sub illis verbis: eligo in postulandum vel postulo in eligendum, cum rem imperfectam significare noscantur, ad faciendas electiones vel postulationes de cætero procedatur: si secus actum fuerit, eo ipso irritum decernentes. Sub ea etiam forma: eligo et postulo, prout potest melius de iure valere, cum incertitudinem contineat, quemquam postulari vel eligi prohibemus: statuentes, quod contra factum fuerit, viribus omnino carere, nisi quando probabiliter dubitatur, utrum quis sit eligendus vel potius postulandus, quo casu is, qui sic postulatus fuerit aut electus, consensus tempore viam electionis vel postulationis, ne in incerto vagetur, eligere necessario teneatur, redeundi ad aliam, postquam unam elegerit, sibi licentia penitus interdicta.“

His satis apparet, omnes commemoratas formas esse penitus prohibitas, factasque sub iis postulationes vel electiones in futurum irritas. Hanc igitur ob causam vota

præcise determinateque ad postulationem vel electionem restringenda sunt nec illi electio vel huic postulatio cumulari debet. Causa vero huius legis, quænam sit, quis non videt? Etenim perspicuum est, eligentes ipso facto plane fateri, electum nulli innodatum esse impedimento, quam ob rem illi ius ad Prælaturam ecclesiæ viduatæ acquiritur; postulantes vero omnino profiteri, postulatum laborare defectu, quo inhabilis sit ad Dignitatem, nisi cum eo dispensetur. Cum vero electio et postulatio ad promovendum sint incompatibiles modi, hi sub diversis etiam verborum formis significandi sunt, et postulatio per verbum „postulo" et electio per verbum „eligo" non fieri non potest. Verum tamen vero in hac re id animadvertendum est, hanc quidem formulam: „eligo vel postulo, prout melius de iure valere potest", recte adhiberi, si quis de electione vel postulatione probabiliter dubitet, sive ea dubitatio ex dubio iudicio facti oriatur, e. g. si quis nesciat, an assumendus ad Episcopatum compleverit annum tricesimum ætatis, sive ex dubio iudicio iuris, si quis dubitet, an Cardinalis non Episcopus non possit non postulari. Quod quam verum sit, clare colligitur ex ea, quam modo commemoravi, epistola decretali, cuius verba: „nisi quando probabiliter dubitatur" ad dubium facti restringi non debent. Est enim manifesta et confessa res, ipsum probabile dubium super iuris intellectu excusare, dum nimirum existunt diversæ canonistarum sententiæ e g. si quis dubitet, num Episcopus in partibus Infidelium postulari debeat nec ne. Quid vero? Imo, qui accuratius rem perpenderit, omnino persuasum sibi habet, in eiusmodi dubio melius et securius esse, prædicta formula uti, quam quem absolute tantum postulare vel eligere. Hoc quidem casu is, qui sic postulatus aut electus est, tempore consensus viam electionis vel postulationis eligere tenetur, quia expedit, ut con-

sensus non in rem incertam sed in certam feratur, et quamvis actus in origine institui possit cum incertitudine, in executione tamen, antequam perficiatur, certificari debet. Optione facta et via electionis seu postulationis determinata, resilire haud licitum est, ne quis in incerto vagetur cum ipsius ecclesiæ vel etiam adversarii, si quem habet, incommodo.

Hæc fere sunt, quæ ad explicandam formam postulationis et electionis earumque vim spectant. Sed quonam ligatum esse oporteat impedimento postulatum, non supervacaneum videtur, quædam hoc loco monere. Illud sane in promptu est et ex SS. Canonibus facili negotio cognoscendum exstat, defectum, ob quem quis eligi nequit, eum esse debere, quocum Superior possit et soleat dispensare. Etenim cum absolute indispensabili impedimento quomodo dispensetur, vix aut ne vix quidem cogitari potest. Si quis igitur defectu iure divino aut naturali inducto laboret, e. g. si quis sit infidelis vel hæreticus vel perpetuo amens, postulationi locus dari nequit. Sed et ii postulari prohibentur, qui inhabilitatem patiuntur, absolute quidem dispensabilem, quacum vero dispensari non solet. Itaque bigamis et iis, qui vicesimum et septimum ætatis annum nondum attigerunt, ad ecclesias cathedrales, nec non Religiosis Professis cuiusvis mendicantium Ordinis ad inferiores cathedralibus ecclesias et ad monasteria extra suos Ordines, aditus non patet. Neque aliter iudicandum est de iis, qui sunt suspensi vel interdicti vel violarunt interdictum, quod quidem sole clarius elucet ex cap. I h. t. Quum enim Philippus Augustus, rex Franciæ, recentem uxorem, Mariam, dimittere et coniugem Ingebergen recipere nollet, quam legitime ductam illegitime duxerat amovendam, Innocentius Legatum suum per Apostolicas litteras instruxit, quatenus sublato appellationis

obstaculo totam Galliam subiiceret interdicto. At vero Episcopus Altissiodorensis huic interdicti sententiæ in regno Galliæ promulgatæ morem non gessit, unde factum est, ut D. Papa postulationem huius Episcopi tanquam indignam repelleret. Quicunque enim interdictum ecclesiasticum violat, claves ecclesiæ a Christo datas contemnit, et ecclesiasticæ disciplinæ nervum dirumpit. Hæc igitur contumacia et inobedientia Episcopi a D. Papa refertur inter illas culpas, in quibus culpa est, relaxare vindictam. D. 28 c. 10 et cap. 35 X (5, 39); quam ob rem ille postulationem repulsam tulit. Qui enim propter delictum ineligibilis, est quoque impostulabilis. —

Postulabiles de stylo, quem vocant, Curiæ Romanæ sunt:

a) *patientes defectum sacri ordinis ad Prælaturam requisiti,* cf. cap. 22 X (1, 6) et concil. Trid. sess. 22 cap. 2 de reform.: „Quicunque posthac ad ecclesias cathedrales erit assumendus, is non solum natalibus etc. plene sit præditus, verum etiam *in sacro Ordine antea, saltem sex mensium spatio, constitutus.*"

b) *patientes defectum natalium* cf. cap. 20 X (1, 6). „Quidam autem suffraganeorum tuorum asseruerunt, eum fuisse filium cuiusdam militis, et ab eo ex quadam ingenua et non coniugata susceptum. Idem quoque magister adiecit, quod nunquam pater eius habuerat uxorem, sed matris eius virginitatem florem præripuit, quasi furtim. etc. Habito ergo super hoc diligenti tractatu, intelligentes vigor. capitulum *eundem magistrum non humiliter postulasse,* sed *improvide potius elegisse*, electionem ipsam denunciamus irritam inanem etc. *Quodsi Vigor. capitulum eundem magistrum propter prærogativam meritorum ipsius duxerit postulandum, postulationem apud Sedem Apostolicam præsentare procuret.*"

c) *patientes defectum ætatis, dumne sint minores 27 annis.* cf. Extravag. com. tit. II lib. I cap. unic.: „illum, *qui vigesimum septimum non attigerit annum,* ad cathedralem nec non professorem cuiusvis mendicantium ordinis ad inferiores cathedralibus ecclesias, ad monasteria extra suos ordines *postulari edicto perpetuo prohibemus.“* Verum tamen vero memores illius verissime dicti: „Salus ecclesiæ suprema lex est“ S. Pontifices nonnunquam postulationibus eorum, qui vicesimum septimum ætatis annum nondum attigerant, assensum præbere non recusarunt. Ut exemplum afferam, anno 1456 Iohann. II Badensis, qui erat adolescens 22 annorum, postulatus ad ecclesiam Trevirensem, postulationem repulsam a D. Papa non tulit. In hac re id animadvertere operæ pretium est, fere unice in Germania eiusmodi postulationes a S. Pontificibus esse admissas, idque ob politicas potissimum causas. —

d) *omnes, qui spirituali matrimonii vinculo coniuncti sunt cum ecclesia cathedrali.* cf. cap. IV et imprimis cap. VI h. t. „cum Episcopus eligi nullo iure potuerit, sed potius postulari“ quæ quidem regula, ut supra fuse demonstravi, pro ipsis „Electis“, quos vocant, omnino statuenda est. Attamen historia Germanica ecclesiastica luculentissime testatur, ob varias, quæ in hac terra occurrebant, rationes Episcopis Brevia Eligibilitatis esse concessa; unde factum est, ut illi, quibus tale Indultum Apostolicum præsto erat, non possent non eligi. Eiusmodi Breve, ut exemplo utar, concessit Clemens Papa XI Arnoldo Episcopo Paderbornensi, in quo dicitur: „Supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi, qui ecclesiæ Paderbornensi præesse dignosceris, ut ad alterutram ex Hildemiens. et Monasteriens. ecclesiis eligi libere et licite valeas, ita ut electio de persona tua in Episcopum Hildemiensem vel Mona-

steriensem, sic servatis alias servandis facienda, valida et efficax sit, ac tibi suffragetur et suffragari debeat eumque consensum illi præstare possis, in omnibus et per omnia perinde ac si de gremio capituli et canonicus ecclesiæ huiusmodi et iuxta illius statuta seu alias debite qualificatus existeres nec memoratæ ecclesiæ Paderbornensi præesses. Auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus et indulgemus ac tecum desuper opportune dispensamus etc." —

Quodsi quis quærat, quanam afficiantur pœna ii, qui *scienter* impostulabilem postulent, respondendum est: Qui *scienter* ad Dignitatem postulant indignum propter vitium per se indispensabile seu quocum dispensari non solet, pro ea vice ipso facto privati sunt potestate postulandi et eligendi, id quod sibi volunt SS. Canones. cf. cap. I h. t.: „Licet autem ex eo, quod hominem, qui vestro non conveniebat proposito, postulastis, cum vos interdicti sententiam servaretis, et ipse eam contemneret observare, *permissa vobis facile abusi fueritis potestate ac ideo vos ea non immerito privare possemus* etc." et cap. 40 de elect.: „Nisi forsan omnes aut maior pars postulantium præsumptione damnabili *postulaverint scienter indignum, ut hac vice merito debeant eligendi seu postulandi potestate privari.* — Hinc necessario sequitur, etiam eos, qui postulationem personæ indignæ a Superiore ob vitium illius cassatam renovant, ipso iure pro ea vice eligendi et postulandi facultate esse privatos. Quod quam verum sit, cap. II h. t. probari potest. Quum enim plures canonici Senonenses postulationem a D. Papa reprobatam innovassent et Episcopum Altissiodorensem denuo postulassent, Legatus Apostolicus, quia persuasum sibi habuit, illos quidem canonicos, qui postulationem a D. Papa cassatam renovarant, eligendi et postulandi privilegium amisisse, quippe qui ex Sedis Apostolicæ Benig-

nitate concessa sibi potestate temere essent abusi ideoque ad alios (licet pauciores numero) postulandi auctoritas esset devoluta, postulationem de Episcopo Cameracensi factam penitus admisit et D. Papa prædictum Episcopum a vinculo absolvit et confirmavit factum Legati. —

Tenendum vero est, hanc eligendi et postulandi potestatem, qua capitulares scienter postulando indignum vel postulationem cassatam renovando privati sint, omnino remansisse penes alios numero licet pauciores, qui in eiusmodi postulationem non consenserint sed expresse contradixerint. cf. cap. II h. t.: „quia concessa sibi ex Apostolicæ Sedis Benignitate abuterentur temere potestate, ac ideo ad alios licet pauciores numero eligendi vel postulandi devolutam esse licentiam etc.“ cui glossa adnectit: „Hic patet, quod si maior pars delinquit in eligendo vel postulando indignum, electio devolvitur ad alios, licet numero pauciores. Sed quid, si omnes delinquunt præter unum, numquid ille unus poterit eligere? Videtur, quod sic, quia universitas remanet in uno etc.“

Itaque falsissimum foret dicere, numerum votorum ex parte capituli nocente esse definiendum. Cum enim capitularibus nocentibus pro ea vice ius suffragii ademtum sit, suffragia absolute maiora seu duplo maiora ex numero partis capituli *innocentis* esse computanda perspicuum est. Quodsi igitur accidat, ut non omnes delinquant, id unice spectandum est, num suffragia absolute maiora ex numero omnium innocentium capitularium computata in unam personam dispergantur, vel in casu concursus postulationis cum electione postulato duplo maiora vel electo ultra unam tertiam suffragentur vota; aliter actus est inutilis et novum scrutinium a capitulo innocente institui debet. Ex 18 capitularibus, ut aliquot exempla afferam ad illustrandum illud dicti, 9 postulaverunt scienter indignum A, 6 ignoranter B et 3 reliqui

elegerunt dignum C. Hic actus est plane inutilis. Quamvis enim penes 9 capitulares ius suffragii remaneat, et B concurrenti cum C duplo maiora vota faveant, postulatio illius utpote indigni admitti non potest; dignus C non vincit, quippe cui vota ultra unam tertiam non suffragentur. — Ex 60 capitularibus 20 postulaverunt scienter indignum A, 21 dignum B, 19 dignum C. Hoc casu B. utpote vota absolute maiora habens, palmam fert. — Ex 40 capitularibus 20 postulaverunt scienter indignum A, 10 ignoranter indignum B, et 10 elegerunt dignum C. Hoc casu C victoriam non reportat. Patet enim et vix opus est monere, id quod prælaudatus Böckhn dilucide notat: „*si vota tamen fuerint simpliciter maiora*“, illam regulam, qua sancitum est, ut in negotio electionis aut postulationis maiora vota totius capituli præsentis in unam personam collata sufficiant, recte riteque ad concursum electionis cum postulatione esse applicandam. Quod quum ita sit, illo casu C victor non discedit. Etenim ut eligibilis concurrens cum postulabili palmam ferat, non sufficiunt vota unam tertiam superantia, sed ad hunc effectum requiritur, ut postulabili faveant suffragia simpliciter maiora. Sed aliter iudicandum est, si fingamus, ex 40 capitularibus 20 postulasse scienter indignum A, 11 ignoranter indignum B et 9 elegisse dignum C. Est enim in promptu, hoc quidem casu C, quippe cui vota ultra unam tertiam partem numeri capitularium innocentium faveant, quumque B habeat suffragia simpliciter maiora, victoriam reportare. —

Notandum est, omne discrimen postulationis electionisque Bulla circumscriptionis: „De salute animarum“ sublatum esse. Quamvis alii aliud de intellectu verborum „omni discrimine postulationis electionisque sublato“ doceant, equidem tamen omnibus circumstantiis consideratis omnino persuasum habeo, tantum abfuisse,

ut D. Papa liberum eligendi ius restrinxerit, ut etiam illis verbis postulatos electis æquiparaverit et ipsis postulatis vi Indulti Apostolici ius ad Prælaturam concesserit, cui praxis, quod sciam, prorsus favet.

En tibi, L. B. non quæ debui, sed quæ volui et potui monere atque disserere de capite tertio Decret. Gregor. Lib. I. Tit. V. de postulatione Prælatorum, digno sane, quod perita manu tractatum fuerit. Si quæ igitur minus accurate forte exposita atque interpretata invenias, aut quæ vi acuminis maiori et apparatu eruditionis ampliori dici potuisse videantur, imperitiam meam excuses. Veniam enim peto pro laude eamque igitur da scriptis, quorum non gloria mihi causa sed utilitas officiumque sit, tibique, precor, in ore sit notissima vox Poëtæ: „Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.“

Corrigendum.

Pag. 48. lin. 22. del.: *haud*